208.68
C

SENTENTIA

SANCTI THOMAE AQUINATIS

DE IMMUNITATE B. V. DEI PARENTIS

A PECCATI ORIGINALIS LABE

PER

IOANNEM MARIAM CORNOLDI S. I.

PROPOSITA

ALMA COLLEGE
208.68
LIBRARY
C 816
Alma, California

Bibl. Theol. p. R.

ROMAE
TYPIS A. BEFANI
—
1889

8532

VIRGO . DEI . PARENS

A . TVA . ORIGINE . PVRA . SANCTA

PRIMVM . AMORIS . PIGNVS

ACCIPE . BENIGNA

Brixinae die Virginis Immaculatae Conceptioni sacra. MDCCCLXVIII.

Utrum ex doctrina sancti Thomae Aquinatis inferri aliquid possit Definitioni de Immaculato Deiparae Conceptu minus consentaneum? [1]

SECTIO I.

DOCTRINA CATHOLICA EXHIBETUR.

1. Ut nostra disserendi ratio non minori perspicuitate quam firmitate gaudeat, illud in primis sincera et plena cordis fide profitendum est et prae oculis habendum, quod Beatissimus Pater Pius P. IX frequentissima purpuratorum Patrum Episcoporumque corona stipatus, universo catholico orbe plaudente, in Basilica Sancti Pauli die 8 decembris anni 1854 immutabili sententia definivit: « Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad

[1] Hoc Opusculum editur prouti editum fuit in volumine XXV operum Sancti Thomae Aquinatis — Parmae. Fiaccadori 1873.

decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem fidei Catholicae et Christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra declaramus, pronuntiamus, ac definimus: Doctrinam, quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter si qui secus ac a nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint ac porro sciant se, proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse et ab unitate Ecclesiae defecisse. »

2. Ad huius catholici dogmatis propositionem illustrandam egregie conferunt quae a Beatissimo Patre Pio P. IX in eadem Bulla dogmatica fuere proposita. Et primo quidem quod attinet ad significationem quae huic vocabulo *conceptionis* inest: « Decretoria plane verba, ait Pontifex, quibus Alexander VII decessor noster sinceram Ecclesiae mentem declaravit, inquiens: Sane vetus est Christi fidelium erga eius beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium, *eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus* fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque *in hoc sensu* eius Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium. » Ecclesiae igitur sincera mens, quam exprimit Apostolica definitio, in hoc sita esse videtur, quod conceptionis nomine intelligatur instans primum quo *anima* Beatae Virginis *creata fuit et in corpus infusa.* Quamobrem catholicum dogma ad eamdem Beatam Virginem, prout ipsa considerari potest aut in parentibus aut in semine vel fetu *inanimato*, minime refertur. Pontificia oracula de

Virginis *anima* ac *persona* agunt non de eo quod solummodo dici potest Virgo in causa, in virtute, in potentia. [1]

3. Secundo, quod spectat ad temporis instans quo immunis a culpa Beata Virgo esse perhibetur: in ea Virginis conceptione nefas est duplex instans ita excogitare, ut primo eius persona peccato obnoxia dicatur, altero immunis eo quod fuerit sanctificata. Instanti enim *primo*, quod expresse in definitione catholica positum est, esse instans aliquod prius minime potest; ac propterea omnino a catholica fide recedunt qui eos sequuntur « qui ad labefactandam de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam, excogitato inter primum atque alterum conceptionis instans et momentum discrimine, asserebant celebrari quidem Conceptionem, sed non pro primo instanti atque momento. »

4. Tertio, quod attinet ad sanctitatem qua, instar lucis tenebris comparatae, vel expellitur si inest, vel impeditur ne insit originis peccatum: quum nullo instanti Deiparae anima culpae fuerit obnoxia, eam puram, mundam, sanctam profiteri debemus, non autem purgatam, mundatam, sanctificatam. Quamquam enim et haec ipsa vox *sanctificata* usurpari possit, tametsi nullum antecesserit peccatum, quemadmodum eam de se Christus Dominus adhibuit cum ait: « Quem Pater sanctificavit: » nihilominus quia ea nonnulli abusi sunt, ab eadem est abstinendum. Propterea Pius P. IX de suis Antecessoribus in Bulla dogmatica sermonem habens ait: « Etenim clare aperteque docuere, festum agi de Vir-

---

[1] Id etiam confirmatur aliis verbis Alexandri VII in eadem Bulla *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* contentis. « Constitutiones et Decreta a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et praecipue a Xisto IV, Paulo V, et Gregorio XV, edita in favorem sententiae asserentis, *animam* Beatissimae Mariae Virginis *in sui creatione* et *in corpus infusione* Spiritus Sancti gratia donatam, et a peccato originali praeservatam fuisse; nec non et in favorem festi et cultus Conceptionis eiusdem Virginis Deiparae secundum piam *istam* sententiam, ut praefertur, exhibiti innovamus, et sub censuris et poenis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus. »

ginis Conceptione, atque uti falsam et ab Ecclesiae mente alienissimam proscripserunt illorum opinionem qui non conceptionem ipsam, sed sanctificationem ab Ecclesia coli arbitrarentur et affirmarent. »

5. Quarto denique, quod spectat ad Virginis redemptionem: « Omnes pariter noscunt, quantopere solliciti fuerint sacrorum Antistites, vel in ipsis ecclesiasticis conventibus palam publiceque profiteri, sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita nunquam originali subiacuisse peccato; sed praeservatam omnino fuisse ab originis labe, et idcirco sublimiori modo redemptam. »

6. Quibus praeiactis, non minus brevi quam perspicua enunciatione huius tractationis scopus determinandus est. Ea igitur mihi mens est ut ostendam: demonstrari nulla ratione posse Aquinatem fuisse professum, quod attinet ad Deiparae Virginis originem, sententiam diversam ab ea quam Sedes Apostolica nostris temporibus tamquam catholicum dogma definivit. Ad hanc quaestionem dirimendam antequam accedam, lectorem humanissime rogo, ut et praeiudicii cuiuslibet expers, et ita animo comparatus esse velit, ut nisi manifesta ratio contraria sit, Aquinatem, insignem Ecclesiae Doctorem, praeclara sanctitate praeditum et Virgini addictissimum, a tali sententia profitenda, quae a veritate recedit atque fidei opposita est (quamvis eius aetate id minime compertum erat) alienum fuisse decernat. Non minus de voluntatis vitio quam de intellectus errore optima est Aquinatis sententia. « In iudicio, quo iudicamus de hominibus, praecipue attenditur bonum et malum ex parte eius de quo iudicatur, qui in hoc ipso honorabilis habetur, quod bonus iudicatur, et contemptibilis, si iudicatur malus. Et ideo ad hoc potius tendere debemus in tali iudicio, quod hominem iudicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat (II. II. q. 60, 4, 2). » Ut haec lectorem rogem postulat aequitatis ratio, non causae diffidentia quam suscipio tractandam.

Certus enim huius controversiae felix exitus mihi videtur. Nulla mihi contentio sit de scriptorum interpolatione aut obliteratione, quum illis tantummodo scriptis S. Thomae sim usurus, quae in pervulgatis editionibus est reperire, de quibus nullum litigium oriri posse omnibus manifeste apparet.

SECTIO II.

SANCTUS THOMAS VIRGINEM DEI MATREM ORIGINALIS PECCATI EXPERTEM FUISSE PROFITETUR.

Expressa affirmatio.

7. Quamquam tractationis meae scopus non requirat ea omnia S. Doctoris testimonia in medium proferre et enucleare, quae Virginis Deiparae originem affirmant immaculatam fuisse: nihilominus in eumdem scopum nonnulla saltem ex iis decerpere sin minus necessarium, utile saltem esse videtur. Itaque in Commentario I. Sent. Dist. 44, q. I. art. 3 perscrutatur Aquinas, num Deus Christi humanitatem perfectiorem, quam reapse fuit, efficere potuisset. Hanc in primis sibi rationem dissolvendam obiicit. « Videtur quod nec Beata Virgine (meliorem facere potuerit) quia secundum Anselmum (De Concep. Virg. c. XVIII) decuit ut Virgo, quam Deus Unigenito Filio suo praeparavit in Matrem, ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. Sed nihil potest Deus facere quod sibi in bonitate vel puritate aequetur. Ergo videtur quod nihil melius Beata Virgine facere potuit. » Numquid Anselmi sententiam Angelicus Doctor inficiatur? aut, ea concessa, illationem recusat? minime gentium, sed eamdem hac distinctione temperat. « Dicendum quod puritas intenditur per recessum a contrario; et ideo potest aliquid creatum inveniri quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, et talis fuit puritas Beatae Virginis, quae a peccato ORIGINALI et actuali immunis fuit. Fuit tamen sub

Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum. Sed bonitas intenditur per accessum ad terminum, quod in infinitum distat, scilicet Summum Bonum. Unde quolibet finito bono potest aliquid melius fieri. » Huiusmodi testimonium quod Deiparae Virginis originem fuisse immaculatam luculentissime ostendit, in pervulgatis Aquinatis editionibus legitur, neque ullum eiusdem membrum in controversiam revocari potest, quin tota quanta est sancti Doctoris sententia perspicuitate atque proprietate carere videatur. Et re quidem vera:

a) Ab allato testimonio quidquid ad Beatam Virginem pertinet fac ut abscindas; Aquinatis solutio cum obiecta difficultate minime cohaeret.

b) Si vocabulum *originali* expunctum velis, Aquinatem sibi adversantem deprehendes. Hinc enim nihil Beata Virgine purius in rebus creatis omnibus (atque ideo in ipsis angelis) esse affirmaret, inde vero aliquid purius eadem esse posset, utpote quae originalis peccati contagione esset inquinata. Quorsum, praeterea, exceptio quae subiicitur: « fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum? » Etenim discrimen inter Dei Virginisque puritatem non ab una potentia sed potissimum a peccato repetendum fuisset.

c) At, inquies, vocabulis omnibus retentis, nonne vox *immunis* transferri potest ad tempus, quo persona Virginis originali culpâ contractâ fuit liberata? Egregie! si tamen dicamus Aquinatem a verborum proprietate recessisse, atque in re gravissima sententiam protulisse ambiguitate plenam ac prorsus ineptam.

Et re quidem vera, quo iure pactove dici ab Aquinate potest sine ulla temporis definitione *simpliciter* immunis Virgo, si eius personam existimat fuisse aliquando peccato originali vere proprieque obnoxiam? Fatetur Aquinas (III. 27, 2) Ieremiam et Ioannem Christi praecursorem ab originali culpa in utero matrum mundatos fuisse, numquam tamen eos dicit a peccato originali *simpliciter* immunes.

Quid quod si ea tribuatur voci *immunis* significatio, illud

praeconium quod allatis Anselmi et Aquinatis testimoniis continetur, non fuisset uni Beatae Virgini tamquam *proprium* impertiendum sed omnibus prorsus hominibus tribuendum, qui baptismate aliove medio ab omni peccato sunt emundati, habito respectu ad tempus quo peccati sunt expertes.

Tametsi quis dicat Aquinatem in citato testimonio praeter emundationem ab originali peccato concedere Virgini immunitatem a quolibet peccato actuali etiam veniali, argumenti vis minime frangitur. Quandoquidem, quod attinet ad puritatem *per recessum a contrario* de qua sermonem habet in prima testimonii parte Angelicus Doctor, in adversariorum sententia, omnes infantes qui baptismate accepto statim decedunt, puritatem cum Virginis puritate omnino communem haberent.

Praeterea nonne sanctus Doctor eadem prorsus ratione immunem praedicat Virginem ab originali atque ab actuali culpa? Atqui in comperto est secundum Aquinatis sententiam (III. 27, 4), *nunquam* subiacuisse Virginis personam actuali culpae. Quam ob rem eatenus ab originali immunem affirmat eam fuisse, quatenus eius animam *in semetipsa nunquam* originali culpae vere proprieque obnoxiam fuisse credit.

Tandem si Aquinas Virginis animam proprie vel per *unum* instans ab accepta existentia subiicit originali culpae, eamque immunem praedicat eo quod deinde eadem fuit liberata, nonne potius a culpa eadem, ut paulo antea dixi, fuisset ab Aquinate inferendum discrimen, quod intercedit inter Virginis Deique puritatem, quam a peccandi *una* potentia? Sed ab hac *una* huiusmodi discrimen colligit. Ergo nemini anceps potest esse significatio, quam voci *immunis* tribuit Aquinas, atque ideo procul dubio allatum testimonium omnino ostendit Aquinatem existimasse animam Virginis *nunquam vere, proprie* atque *in se* fuisse peccato originali subiectam Virginisque personam fuisse puram ab omni labe primo etiam instanti quo existere coepit.

Implicita affirmatio.

8. Quod expressis verbis « talis fuit puritas Beatae Virginis, quae a peccato ORIGINALI et actuali immunis fuit » protulerat Doctor Angelicus, id etiam implicitis professus est. Nam. I. II. quaest. 82, art. 5, ait: « Oportebat ut Mater Dei *maxima* puritate niteret; non enim est aliquid digne receptaculum Dei, nisi sit mundum secundum illud Psal. 92, 5: Domum tuam, Domine, decet sanctitudo. »

Praeterea, III. quaest. 27, art. 5: « Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Unde Dionysius dicit 4, cap. cael. Hierarch., quod angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis, quam homines. Christus autem est principium gratiae; Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo *prae ceteris majorem debuit a Deo gratiae plenitudinem obtinere.* »

Etiam, de Veritate quaest. 24, art. 9: « Dona gratiae non sequuntur ordinem naturae de necessitate, et ideo quamvis humana natura non sit angelica dignior, tamen alicui homini collata est *maior gratia quam alicui Angelo,* sicut Beatae Virgini competebat, quia Mater erat Divinae Sapientiae, *in qua nihil inquinatum incurrit,* ut dicitur Sap. VII. »

Insuper, Sent. III. Dist. 3, quaest. 1, art. 1, sol. 3: « Ipsa super omnes alios sanctos *a peccato purior* fuit, ut ex hac littera habetur, velut Divinae Sapientiae mater electa, in quam *nihil coinquinatum incurrit,* ut dicitur Sap. VII. Unde cum haec puritas in quibusdam fuisse inveniatur, ut ante nativitatem ex utero a peccato mundarentur, sicut de Joanne Baptista, de quo legitur Luc. 1, 15: « Spiritu Sancto replebitur

adhuc ex utero matris suae, » et de Hieremia, de quo dicitur Hierem. 1, 5: « Priusquam exires de ventre sanctificavi te: » non est dubitandum *hoc multo excellentius Matri Dei collatum fuisse.* »

Tandem, ut alia sane plura Angelici Doctoris testimonia silentio praeteream, Com. in Salut. Angel.: « Tertio *excedit Angelos quantum ad puritatem:* quia Beata Virgo non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa enim *purissima* fuit et quantum ad culpam, quia ipsa Virgo *nec mortale nec veniale* peccatum incurrit; item quantum ad poenam. Tres enim maledictiones datae sunt hominibus propter peccatum... Sic ergo immunis fuit ab *omni maledictione* et ideo benedicta in mulieribus; quia ipsa sola maledictionem sustulit et benedictionem portavit, et ianuam Paradisi aperuit; et ideo convenit ei nomen — Maria — quod interpretatur Stella maris. »

9. Nemini prudenti sententia Aquinatis anceps vel tantulum esse potest. *Maxima puritate* Virgo nitet? Ergo originalis culpae immunis esse debet: purior enim est huius culpae expers quam eidem obnoxia. Deo ob gratiam *propinquissima?* Ergo originali culpa vacat; propinquior est enim Deo qui omni culpa caret. Angelos antecedit non solum *sanctitate et dignitate*, sed etiam *puritate?* Ergo immaculata a prima origine est, tales enim Angeli extitere. *Multo excellentius* quam Ieremias ac Ioannes Baptista obtinuit primae sanctificationis donum non solum quod ad ipsius gratiae intensitatem attinet, verum etiam quod attinet ad immunitatem a peccato, utpote *Sapientiae mater electa*, in quam *nihil inquinatum incurrit?* Ergo Deus animam eius immaculatam ac sanctam creavit; neque dicendum est naturam praecessisse tempore gratiam. *Purissima* fuit *quantum ad culpam, quia nec mortale nec veniale peccatum incurrit?* Sed citra dubium originis peccatum mortale est. Etenim *mors* animae hic in sanctificantis gratiae

privatione consistit, post animae separationem a corpore in illius visionis privatione, quae non per speciem et in aenigmate, sed facie ad faciem est, et beatifica nuncupatur. Quam ob rem cum peccatum originis in sanctificantis gratiae privatione *formaliter* consistat, cumque anima eodem infecta Deum facie ad faciem intueri nequeat, mortale simpliciter est dicendum, tametsi quod ad personam spectat minus voluntarium quam veniale sit. Non igitur Virgo originale peccatum incurrit. Denique immunis fuit ab omni maledictione? Ergo etiam a prima, qua nascimur *filii irae* (Ephes. 2, 3), et ideo libera est a peccato originis, quod virtute continet in se quodammodo omnia peccata (S. Th. in epist. ad Rom. c. 4, lect. 1).

In perspicuis est allata testimonia esse praemissas, ex quibus *profecto logica necessitate* haec illatio consequitur — Virgo, quia Mater Dei, fuit ab originali peccato immunis. Aut igitur Aquinas ex eisdem praemissis hanc illationem sequi ignorat, aut ipsam negat, aut amplectitur. Ignorat? sane! omnibus pervium est quod Angelicae menti impervium, et nobis vis quae inest eius testimoniis est perspicua, illi autem obscura. Negat? profecto! is est Aquinas, qui logicam a primo limine non salutaverit, et neget eam illationem e praemissis inferendam esse, quae evidentissimo nexu easdem sequitur. Fatendum idcirco nobis est, Aquinatem illatae conclusioni certa animi persuasione adhaerere, qua Virgo Mater Dei ab originali peccato immunis esse perhibetur. Iis igitur testimoniis, quae secundum nonnullorum sententiam a vulgatis editionibus expuncta sunt, omissis, manifestum nobis est Aquinatem Immaculatae Virginis privilegium esse professum.

SECTIO III.

QUAMQUAM EST APERTA VERBORUM OPPOSITIO, TAMEN RERUM SENTENTIARUMQUE DISSIDIUM NULLUM REAPSE EST INTER DOCTRINAM NOSTRIS TEMPORIBUS CATHOLICO ORBI CREDENDAM PROPOSITAM ET AQUINATEM AFFIRMANTEM VIRGINIS CONCEPTIONEM SANCTAM NEQUAQUAM EXTITISSE, SED PECCATO OBNOXIAM.

Testimonia contraria.

10. Angelicus Doctor profitetur expressis verbis Virginis conceptionem sanctam nequaquam fuisse, sed peccato originali obnoxiam. En indubia eius testimonia. « Beata Virgo in peccato originali fuit concepta (III. Dist. III. q. 1, sol. 1). »

Etiam: « Caro Virginis concepta fuit in originali peccato (S. III. q. 14, 3). »

Et: « Corpus B. Virginis totum fuit in originali peccato conceptum (S. III. q. 7). »

Praeterea: « Oportuit quod cum peccato originali conciperetur, utpote quae ex utriusque sexus commixtione concepta fuit. Hoc enim privilegium sibi soli servabatur ut Virgo conciperet Filium Dei. Similiter etiam quia si cum peccato originali concepta non fuisset, non indigeret per Christum redimi; et sic non esset Christus universalis hominum Redemptor: quod derogat dignitati Christi (Opus. III. Comp. Th. c. 224). »

Et haec fere sunt quae in scholis ab imperitis obiiciebantur.

Si verborum corticem inspicias, atque inde praeceps iudicium feras, Aquinatis sententiam esse doctrinae catholicae directe oppositam asseverabis. Sed enim licet verborum pugna appareat, rerum sententiarumque oppositio nulla prorsus in iis locutionibus inesse dicenda est. Et re quidem vera nulla rerum sententiarumque est oppositio, si vocabulo conceptionis alia inest secundum Aquinatem significatio, quam ea

quae inest eidem in catholica definitione; si aliud est peccati originalis subiectum secundum Aquinatem ac illud quod ab eodem peccato in oraculo pontificio declaratur immune; si alia penitus est peccati originalis ratio secundum Aquinatem atque ea quae in dogmate esse perhibetur. Atqui citra omnis dubitationis aleam huiuscemodi conditiones sunt admittendae : idcirco nulla inest aut inesse potest illis locutionibus rerum sententiarumque oppositio, quamquam verborum discrepantia sit manifesta.

Conceptio : animatio.

11. a) Primo quidem alia inest vocabulo *conceptionis* significatio in Aquinatis locutionibus ab ea quae inest vocabulo *conceptionis* in catholica definitione. Veteribus enim Doctoribus nihil fuit antiquius quam principiorum seminalium unionem nuncupare conceptionem. Ita Halensis (III. P. p. IX. memb. II. ar. II. III.): « Conceptio dicit commixtionem, quae est in principiis seminalibus viri et mulieris, quae commixtio fit per naturam » [1]. Etiam Anselmus : « Quod autem mox ab ipsa conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus suscipit sensus (De Conc. Virg. c. 7). » Et Magister sententiarum: « In ipso conceptu ubi dicitur transmitti peccatum, propagatur caro, nec tamen infunditur anima secundum physicen, sed iam effigiatis corporibus (II. Dist. 32). » Hos sequitur Aquinas, quam ob rem affirmat esse Virginem in peccato originali *conceptam* ante animationem, seu ante quam ejus anima crearetur et in corpus infunderetur, ut manifestum erit ex multis testimoniis, quae in hoc Opusculo sumus daturi (Cf. III. Dist. III. quaest. 1, art. 1, et Sum. III. 27, 2, et III. 33, 2 et 7, et Comp. Th. c. 224, etc).

---

[1] Beyerlinck in suo Magno Theatro ait: « Conceptio, sive conceptus, est actus ipse concipiendi, quem graeci συλλήψιν συλλαμβάνειν τὸ σπέρμα, id est, ab apprehendendo semen genitale ad efformandum fetum. »

Porro sciendum est secuundum Aquinatis scholasticorumque doctrinam in humana generatione *(praesupposito* viri mulierisque concursu) duos esse terminos constitutos, alterum qui nuncupatur *a quo*, estque conceptio seu principiorum seminalium in unum copulatio, alterum qui dicitur *ad quem,* et est animatio seu creatio simulque infusio rationalis animae in corpus, apta ratione suis membris perfectum. Et quamvis non eam inficias, ad conceptionis tempus aliquando ab Aquinate revocari totum illud tempus quo fetus inanimis suis membris perficitur: nihilominus sine cunctatione affirmo, nunquam ab eodem Doctore ipsam animationem seu animae rationalis *creationem et in corpus infusionem* nuncupari conceptionem. Sed enim mos inter scholasticos Doctores appellandi ipsam animationem *simpliciter* conceptionem ita deinde invaluit, ut Pontifices Romani hanc eamdem conceptionis vocabulo significandi potestatem concesserint. Cum autem fetus nomine egregie etiam id usurpetur quod anima rationali caret, quapropter non solum homines, sed et bruta et plantae (Cic. 2, De Orat. c. 30, et passim apud Virg. Georg·), fetus habere dicuntur, cumque persona sit naturae humanae individua substantia, quae sine rationali anima esse nequit, apposite primam conceptionem, quae praecedit animationem, *fetus conceptionem,* alteram, quae animatione fit, *personae conceptionem* nuncupabis. Haec autem ad quaestionis expolitionem veterumque Doctorum interpretationem exhibendam dico: ceterum hisce temporibus dum vocabulo — conceptione — utimur, nefas omnino est ab ea significatione recedere quam Sedes Apostolica adhibuit adhibetque qua significatione iudicatur *personae conceptio* seu animatio. Etenim non quod solum spectat ad sententias, sed etiam ad vocabulorum usum auctoritatem Ecclesiae sequendam esse omnino ducimus, posthabita, si qua eidem contraria sit, quorumcumque doctorum auctoritate, secundum effatum Aquinatis: « Ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiae,

quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscumque Doctoris (II. II. 10, 12). »

Verum de iis hactenus: in comperto enim est apud Aquinatem conceptionem non esse *animationem*, sed tempore antecedere ipsam animationem; penes Romanos Pontifices (ut constat ex Bullis dog. Pii P. IX. et Alex. VII. cit. Sect. I.) esse *animationem ipsam*, scilicet *animae creationem* et in corpus *infusionem*: quocirca non eadem apud illos et Aquinatem est, ad illud nomen quod attinet, significatio [1].

Subiectum peccati.

12. b) Secundo, inquam, aliud est iuxta Aquinatis doctrinam subiectum originalis peccati, dum ait Virginem obnoxiam peccato originali fuisse in sua conceptione, aliud iuxta pontificium oraculum, dum eamdem fuisse in sua conceptione

---

[1] Benedictus XIV, de Festis (c. XV.) ait: « Conceptio dupliciter accipi postest; vel enim est activa, in qua sancti B. Virginis parentes opere maritali invicem convenientes praestiterunt ea quae maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem et dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam; vel est passiva, cum rationalis anima cum corpore copulatur. Ipsa animae infusio et unio cum corpore debite organizato vulgo nominatur conceptio passiva, (sc. *animatio* secundum Aquinatem) quae scilicet fit illo ipso instanti, quo rationalis anima corpori omnibus membris ac suis organis constanti unitur; ut cum aliis Theologis ait Frassen. Non hic de activa conceptione sermo est sed de passiva; quae pura et immaculata fuisse dicitur. Beata enim Virgo ab originali labe fuit immunis, et a communi omnium hominum contagione libera per gratiam sanctificantem, quam Deus illi indidit *in primo Conceptionis momento, cum anima corpori iam membris suis instructo unita fuit.* » Procul dubio, quae hic conceptio passiva nuncupatur, circa quam versatur dogma, ea est quae ab Aquinate dicitur *animatio*, atque est conceptio personae. Verum conceptio activa, quae *parentibus tribuitur*, est ne eadem ac unio seminalium principiorum, quam fetus conceptionem dicebamus? Fortasse non immerito distingui invicem possunt; illa enim videtur antecedens, haec autem statim consequens et quasi media inter activam, quae parentibus tribuitur, et passivam, quae in animae rationalis creatione et in corpus infusione consistit.

immunem decernit. Ut explorata sit atque omnimoda perspicuitate nitens Angelici Doctoris sententia, duo scholasticae placita sunt in mentem revocanda. Primum est, inter fetus conceptionem, quae est primus terminus *a quo* humanae generationis, et personae conceptionem, quae est ultimus terminus *ad quem*, aliquam temporis moram intercedere. Alterum est, quamquam certa scientia ratum minime sit quantum temporis interfluat, nihilominus animam rationalem non creari et in corpus infundi, nisi posteaquam perfecta sint potiora saltem corporis membra. Non mea interest haec philosophiae scholasticae placita in praesenti comprobare rationum momentis, atque etiam recentiorum in re medica peritorum auctoritate; tametsi perspicuum sit neminem affirmare posse *eodem prorsus instanti* quo fit fetus conceptio, seu prima seminalium principiorum copulatio, animam condi corporique informando infundi, atque ideo effici etiam personae conceptionem. [1]

Hoc, secundum Aquinatis praeclarissimorumque doctorum sententiam, *solius* Christi Domini Nostri privilegium fuit; eo quod non efficiebatur embrio in Virginis utero virilis seminis efficacia, sed fiebat proles Spiritus Sancti *virtute* (III. 33, 2): « Dicendum est, quod ad hoc ut conceptio ipsi Filio Dei attribuatur, ut in symbolo confitemur dicentes: qui conceptus est de Spiritu Sancto: necesse est dicere ipsum corpus Christi, *dum conciperetur*, esse a Verbo Dei assumptum. Ostensum est autem supra (q. 6, art. I. 2), quod Verbum

---

[1] Hinc patet recentiores, qui autumant paucis post diebus ab unione seminalium principiorum animam rationalem creari et in corpus infundi, egregie secernere fetus conceptionem ut terminum *a quo* generationis humanae, a conceptione personae ut termino *ad quem*. Consule recentiores in re medica peritissimos, ex. gr. *Frédault* — Physiologie Générale. — Traité d'Antropologie (Paris 1863). Livre III. c. I. 4, de la génération. — *Santi* — Saggio filosofico: Della forma, genesi, corso naturale e modi dei viventi. — *Liverani:* Sui principii del moderno ippocratismo.

Dei assumpsit corpus mediante anima et animam mediante spiritu, id est intellectu. [1] Unde oportuit, *quod in primo instanti conceptionis* corpus Christi esset *animatum anima rationali.* » Propterea in responsione ad 3 inquit: « In generatione aliorum hominum locum habet quod dicit Philosophus (scil. adesse temporis intercapedinem inter terminum *a quo* generationis et terminum *ad quem*) propter hoc quod *successive* corpus formatur et disponitur ad animam... Sed corpus Christi *propter infinitam virtutem agentis* [2] *fuit perfecte dispositum in istanti:* unde statim in *primo istanti* recepit formam perfectam, idest animam rationalem. »

13. Quibus positis unum quaero: affirmatne Aquinas absolute, animam rationalem Virginis esse creatam atque in corpus infusam sine sanctificationis gratia aut peccato originis obnoxiam? Nequaquam: sed profitetur *carnem* Virginis conceptam esse in originali peccato, aut etiam *corpus* B. Virginis conceptum in orginali fuisse. Ergo peccati originalis subiectum, secundum Aquinatem, est *corpus* aut *caro* non-

---

[1] Ut horum verborum sinceram significationem accipias, haec considera: « Est duplex ordo: unus quidem temporis, alius autem naturae. Secundum autem ordinem temporis non dicitur in mysterio Incarnationis aliquid medium, quia totam humanam naturam *simul* sibi Verbum Dei univit. Ordo autem naturae inter aliqua potest attendi dupliciter: uno modo secundum gradum dignitatis; alio modo secundum rationem causalitatis. Sic ergo si attendamus gradum dignitatis anima media invenitur inter Deum et carnem: et secundum hoc potest dici quod Filius Dei univit sibi carnem mediante anima. Sed et secundum ordinem causalitatis ipsa anima est *aliqualiter* causa carnis uniendae Filio Dei. Non enim esset assumptibilis, nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, secundum quam habet quod sit caro humana » S. T. III. 6, 1. Hinc in seq. art. 3: « Non enim anima est assumptibilis secundum congruitatem, nisi per hoc quod est capax Dei, ad imaginem eius existens, quod est secundum mentem, quae spiritus dicitur. » —

[2] Id etiam in multis miraculis luculenter apparet. Uno instanti quis e febri convalescit, aut visum recuperat propter efficaciam virtutis, quae *praeter rerum vires* operatur, cum secus adhibitis naturalibus agentibus idem effectus quidem obtineri, sed nonnisi post temporis longum intervallum.

dum animata rationali anima: atque idcirco sententia Aquinatis non opponitur catholicae sententiae, qua definitur Virginis *animam* non fuisse peccato originali obnoxiam primo suae existentiae instanti.

14. At, inquies, non est silentio obvolvendum illud testimonium, in quo non caro aut corpus Virginis peccato ob noxium esse perhibetur, sed absolute dicitur: « Beata Virgo in peccato originali fuit concepta. »

Commode id obiicitur; ex huius enim testimonii dilucida interpretatione alia sane, quae imperitis nonnihil negotii facessere videntur, quavis difficultate carere videbuntur.

Et in primis obiicientem iure meritoque redarguo inquiens: qua veritatis specie Aquinatis verba obtrudis? Aquinas enim dum hisce vocabulis — conceptione — concepta — et similibus utitur, animationem nequaquam indicat (si de Christi conceptione non sit sermo); sed semper id exprimit quod animationem *tempore* praecedit. Ergo dum profitetur Virginem esse in originali culpa *conceptam*, perinde est ac si dicat, Virginem, *antequam eius anima crearetur corporique informando infunderetur*, in fetus inanimati conceptione, originali peccato obnoxiam fuisse. Quae locutio pervulgata sane fuit apud veteres Doctores, cum investigabant an Virgo fuerit peccato obnoxia in suis parentibus immediatis, an in Adamo, an ante animationem. Sed praestat obiecti testimonii interpretationem audire, quae habetur evidentissima apud ipsum Aquinatem, eodem articulo ex quo illud testimonium est depromptum.

Quid enim quaerit sanctus Doctor III. Dist. III. qu. 1, art. 1 quaestiuncula 1ª? Num B. Virgo in primo animationis instanti fuerit peccato originis subiecta? Absit! sed investigat num in prima seminis *conceptione* fuerit peccati expers, investigaturus in secunda quaestiuncula num saltem fuerit *ante animationem*, et in tertia, num *ante nativitatem* ex utero. Ergo rerum tractandarum ordo nos edocet, subiectum peccati originalis non esse, secundum Aquinatis allatum testimonium,

personam, sed id quod principiorum seminalium unione concipitur et nondum est rationali anima praeditum.

Quid, quod ad solvendam primam alteramque quaestiunculam tale argumentum adhibet, quod nullum dubitandi locum dare potest. « Sicut dicit Dionysius, sanctitas est ab omni immunditia libera et perfecta et immaculata munditia: unde cum sanctificari sit sanctum fieri, oportet quod sanctificatio emundationem ab immunditia spirituali ponat, prouti nunc de sanctificatione loquimur. Emundatio autem a spirituali macula, scilicet culpa, sine gratia esse non potest, sicut et tenebra nonnisi per lucem fugatur: unde sanctificatio tantum ad eos pertinet, qui gratiae capaces sunt: et quia proprium subiectum gratiae est rationalis natura, ideo *ante* infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificari non potuit. » Continuo ostendit modum generationis, quo Virgo fuit ab immediatis parentibus genita, *per se* talem fuisse, ut transmitti culpa originalis debuisset, atque idcirco concludit: « Ideo Beata Virgo in peccato originali fuit *concepta.* » Ex qua Aquinatis solutione quatuor infero. Primum est, sermonem esse de Virgine prouti considerari potest in concepto semine *ante* animationem; secundum, ita a parentibus fuisse genitam, ut ad eam pervenire debuisset originis peccatum; tertium peccatum originis secundum Aquinatis sententiam aliquo modo fuisse in conceptione fetus inanimati; quartum, non potuisse auferri hoc peccatum ab eodem inanimato conceptu, eo quod peccatum nonnisi gratia auferatur, cuius *incapax* est conceptus ante animationem. In comperto itaque est subiectum originalis peccati secundum enunciata testimonia non fuisse Virginis *personam*, sed conceptum anima rationali minime informatum; secundum autem catholicam fidei definitionem subiectum a peccato praeservatum et gratia sanctificante praeditum, fuisse Virginis personam; et propterea hac de re nullam inter Aquinatis doctrinam et fidei dogma realem oppositionem posse excogitari.

Ratio peccati duplex.

15. c) Tertio denique aiebam rationem peccati originalis, cui in sui prima conceptione fuit secundum Aquinatem obnoxia Virgo Deipara, esse penitus ab ea diversam quae in catholica doctrina esse perhibetur. Illico atque aperte dicam, peccatum originis, cui fuit in fetus conceptione obnoxia Virgo *ante* animationem, secundum Aquinatem, sumi quasi *instrumentaliter,* quia veluti *in causa instrumentali* aut dispositive est accipiendum; peccatum originis, de quo pontificia definitio loquitur, et a quo in primo creationis suae instanti fuit praeservata Deiparae anima, sumendum esse *formaliter* et *in se;* atque idcirco ratio peccati originalis in catholica doctrina est *propria,* secundum Aquinatem est *impropria,* quemadmodum ratio hominis prouti homo consideretur in semine aut fetu inanimato est impropria, est autem propria prouti consideratur in hominis persona ad existentiam perducta.

Ut autem mentem Aquinatis egregie teneas, accipe quae protulit Quaest. de Malo (IV. de prec. orig. art. 3), « Ad huius quaestionis intelligentiam duas distinctiones considerare oportet. Primo quidem quod aliquid dupliciter dicitur esse in aliquo: uno modo sicut *in proprio subiecto,* alio modo sicut *in causa.* Proprium autem subiectum alicuius accidentis coaequatur ipsi accidenti; puta si volumus considerare proprium subiectum felicitatis et virtutis, cum felicitas et virtus sit propria hominis, proprium subiectum utriusque erit id quod est proprium hominis. scilicet pars animae rationalis, ut Philosophus probat (I. Eth. 7). Causa autem est duplex, scilicet instrumentalis et principalis. In principali quidem causa est aliquid secundum similitudinem formae, vel eiusdem speciei, si sit causa univoca, vel secundum aliquam excellentiorem formam, si sit agens non univocum. In causa autem instrumentali est aliquis effectus secundum virtutem (i. e. instrumentaliter), quam recipit instrumentum a causa prin-

cipali, in quantum movetur ab ea. Aliter enim est forma domus in lapidibus et lignis tamquam in proprio subiecto (i. e. formaliter); et aliter in anima artificis, tamquam in causa principali; et aliter in serra et securi tamquam in causa instrumentali. Manifestum est autem quod esse susceptivum peccati est proprium hominis. Unde oportet quod proprium subiectum peccati cuiuscumque sit id quod est proprium hominis, scilicet anima rationalis, secundum quam homo est homo; et sic peccatum originale est in anima rationali sicut in proprio subiecto (i. e. formaliter). Semen autem carnale sicut est instrumentalis causa traductionis humanae naturae in prolem, ita est instrumentalis causa traductionis peccati originalis; et ita peccatum originale est in carne, id est in carnali semine sicut in causa instrumentali (i. e. instrumentaliter). Secundo considerandum est, quod duplex est ordo, scilicet *naturae et temporis*. Ordine quidem naturae perfectum est prius imperfecto, et actus potentiâ; ordine vero generationis et temporis e converso imperfectum est prius perfecto, et potentia actu. Sic ergo in ordine naturae per prius est peccatum originale in anima, in qua est sicut in proprio subiecto, quam in carne in qua est sicut in causa instrumentali; *sed in carne est per prius ordine generationis et temporis.* » En tibi sincera Aquinatis doctrina. Tria originalis peccati subiecta sunt omnino et admittenda et distinguenda. Primum est causa principalis (Adam). Alterum est causa instrumentalis, in quo peccatum originis est *instrumentaliter*, quae causa est virile semen, et proinde conceptus fetus usque ad animationem *exclusive*. Tertium est proprium subiectum seu rationalis anima, in qua formaliter idem peccatum est. Cum autem inter fetus conceptionem et personae conceptionem sit, secundum Angelicum Doctorem, aliqua temporis intercapedo, pronum est inferre illud quod Aquinas profitetur: scilicet *prius* tempore esse peccatum originale improprie et instrumentaliter in semine ac in fetu, *postea* esse proprie et formaliter in anima, si haec eidem peccato subiiciatur.

Instantia.

16. At quo iure consiliove fetum inanimatum aut virile semen subiectum esse, in quo *instrumentaliter* originale peccatum inest, affirmas? Repono cum Aquinate (I. c. ad 1): « Anima rationalis non habet immunditiam peccati originalis, nec est (sc. immunditia) a se, nec a Deo, *sed ex unione ad carnem;* sic enim fit pars humanae naturae derivatae ab Adam, » quod perbelle etiam I. II. 83, art. 1 ad 4, ostendit.

17. At omnino, dices, a virili semine et fetu inanimato arcendum est omnino originale peccatum. Etenim si in eisdem foret originale peccatum sicut in causa, magis in ipsis foret quam in rationali anima: quandoquidem pervetustum adagium fert, effectum potiore ratione in causa quam in semetipso esse Ita ne? Audi quid huic obiectioni reponat Aquinas (ad 5): « Nobilius est aliquid in causa *principali* quam in effectu; non autem in causa *instrumentali:* sic autem est et humana natura per peccatum originale in carnali semine. Unde sicut humana natura non est verius in semine quam in corpore illo organizato, ita neque peccatum originale est verius in carne quam in anima. » Perpulcra comparatio!

18. Quid, quod haec originalis peccati praeexistentia in virili semine concepto seu in fetu inanimi pervulgata erat apud veteres, atque in hac doctrina tamquam in proprio fundamento sententiam catholicam de transmissione peccati originalis collocabant. Anselmum audiamus: « Videtur (cap. 7 de Conc. Virg.) itaque sequi, quod aut infans statim ab ipsa conceptione animam habet rationalem, sine qua voluntatem rationalem nequit habere; aut in eo non est originale peccatum *mox cum conceptus est.* Quod autem mox ab ipsa conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus suscipit sensus. Sed si non statim infans ab ipsa conceptione habet peccatum, quid est, quod dicit Iob Deo: *Quis potest facere*

mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Et quomodo verum est quod dicit David: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea?* Quaeram igitur, si possum, quomodo, quamvis non statim ab ipsa conceptione sit in infantibus peccatum, immundo tamen semine in iniquitatibus et in peccatis concipi dicantur. Saepe utique divina Scriptura asserit aliquid esse, quod modo non est, idcirco quia tamen est futurum esse... Sicut in Adam omnes peccavimus quando ille peccavit: non quia tunc peccavimus ipsi, qui nondum eramus: sed quia de illo futuri eramus: et tunc facta est illa necessitas, ut cum essemus peccaremus: quoniam *per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Simili modo de immundo semine in iniquitatibus et in peccatis concipi potest homo intelligi; non quod in semine sit immunditia peccati aut peccatum sive iniquitas; sed quia ab ipso semine et ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem, ut cum habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quae non est aliud quam peccatum et iniquitas. »

Perplacet etiam Petri Lombardi testimonium afferre, tum quia Aquinas doctrinam eius in suis commentariis expressit atque explanavit, tum quia et ipse quod in rem nostram maxime confert, mira perspicuitate pertractat. Definierat Sententiarum Magister (II. Dist 31), in fetus prima conceptione transmitti peccatum originale, quod ut explanet ait: « Sed ad hoc opponitur hoc modo. In ipso conceptu ubi dicitur transmitti peccatum, propagatur caro, nec tamen infunditur anima secundum physicen, sed iam effigiatis corporibus: quod etiam Moyses in Exod. c. 21 aperte significat, ubi ait de percussura mulieris praegnantis. [1] — Si quis, inquit, percusserit mulierem praegnantem et abortum fecerit, si adhuc informe fuerit puerperium, mulctabitur; si autem formatum fuerit, reddat *animam pro anima.* — Formatum vero intelligitur,

[1] (Conf. translationem 70 interpr.).

propria (scil. *rationali*) anima animatum; et informe quod nondum habet animam. In ipso ergo conceptu cum caro propagatur, *nondum* infunditur anima. Quomodo ergo ibi peccatum transmittitur cum peccatum non possit esse, ubi anima non est? Ad quod dici potest, quia in illo conceptu dicitur, peccatum transmitti, non quia peccatum originale *ibi sit*, sed quia caro *ibi contrahit id, ex quo* peccatum fit in anima cum infunditur. »

Perinde est ac Anselmus et Petrus Lombardus dicant: In conceptione fetus peccatum nec est nec esse potest *proprie* et formaliter, eo quod in eadem conceptione anima rationalis esse nequit, atque ideo est in ea *improprie* seu instrumentaliter, in anima autem rationali *proprie* et formaliter est, cum eidem est obnoxia. Sed iam ad illationem inferendam veniamus. Itaque talis est originalis peccati ratio, quam admittit Aquinas esse in Virginis conceptione, qualis esse potest in semine concepto et *nondum* animato (anima rationali) hoc enim (ut ostendimus alibi n. 12) peccato originali subiicit. Sed enim in hoc ea ratio sita est ut peccatum originale non eidem fetui *proprie* et formaliter insit, sed *improprie* seu *instrumentaliter;* non tamquam *in subiecto* proprio, sed tamquam *in causa instrumentali*. Quocirca Aquinas in Virginis conceptione affirmat esse peccatum *improprie* seu instrumentaliter, at nequaquam *proprie* et formaliter: ut in causa instrumentali, non autem ut in subiecto proprio. Etenim subiectum proprium originalis peccati est secundum Aquinatem rationalis anima, qua caret fetus in sui conceptione.

Lector, cui modo prospecta est duplux peccati originalis ratio, instrumentalis nempe et formalis, facile dignoscet quo sensu Aquinas (Sect. II.) affirmaverit B. Virginem esse immunem ab originali peccato. Scilicet non a peccato originali in concepto semine *improprie* seu *instrumentaliter* existente; huic enim B. Virginem subiecit, ne eamdem debito reali (Sect. V.) contrahendi peccatum originale formaliter sumptum liberaret, et minime redemptionis indigam faceret, sed

ipsam a peccato originali *proprie* et *formaliter* sumpto immunem praedicavit.

Verum quaenam est peccati originalis ratio secundum catholicam definitionem, qua praedicatur ab eodem immunis Deipara? Citra omnem dubitationem, peccatum sumitur secundum rationem formalem, non autem secundum rationem instrumentalem, arcetur enim peccatum ab anima rationali Virginis *in primo suae creationis et infusionis instanti* (Sect. I. n. 2). Iamvero si peccatum in anima rationali extitisset, a quo secundum fidem immunis fuit, eidem non ut causae instrumentali, sed ut proprio subiecto, atque ideo non *improprie* et formaliter adhaesisset. Ergo ratio peccati originis, ad quam respicit Aquinas, cum de Virginis conceptione sermonem instituit, penitus differt a ratione, quae in catholica definitione exhibetur.

19. Lectorem obsecro, ut in mentem primum argumentum revocet, cuius minor propositio membrorum, quibus constat, singulorum probatione erat nobis demonstranda. Nonne id praestitimus? Sane! et ita quidem, ni mea me fallit opinio, solide, ut dubitationi nullus locus amplius relinquatur. Ergo iure meritoque affirmamus in allatis Aquinatis testimoniis, quibus Deiparam in eius conceptione subiicit originali peccato: 1) vocabulo conceptionis aliam esse, secundum Aquinatem, significationem ab ea quae inest catholicae definitioni: 2) aliud esse secundum Aquinatem peccati originalis subiectum, quam illud quod ab eodem in pontificio oraculo declaratur immune: 3) diversam penitus esse peccati originalis rationem secundum Aquinatem ab ea quae in dogmate catholico esse perhibetur. Quam ob rem conclusio omni veritate evidentiaque praedita est: nullam interesse inter Aquinatem et catholicum dogma rerum sententiarumque oppositionem, licet verborum sit aperta pugna.

SECTIO IV.

NULLA REALIS AQUINATEM INTER ET CATHOLICAM DOCTRINAM OPPOSITIO EXISTIT QVOD ATTINET AD PRIMAM DEIPARAE SANCTIFICATIONEM.

Sanctificationis ratio.

20. Pluribus in locis affirmat Aquinas, Virginem in matris utero fuisse sanctificatam. Exemplo sit III. q. 2, art. 1, qu. 3: « Plus gratiae collatum est Beatae Virgini quam alicui Sanctorum, ut in litera ex verbis Augustini (de Nat. et Gr. c. 26) dicitur, Ergo Beata Virgo adhuc in utero matris Spiritu Sancto repleta fuit: ergo et sanctificata. » At inquiet adversarius: estne in utero sanctificata? profecto! Ergo fuit instans in quo sanctificationem nondum acceperat. Ergo instans fuit, in quo erat in Virginis anima gratiae sanctificantis privatio, atque ideo originale *peccatum formaliter* sumptum. Quocirca Aquinatis sententia, dicentis Virginem esse sanctificatam, directe opponitur catholicae doctrinae, quae duplex instans distingui non patitur, quasi in primo gratia caruerit, in altero autem eâ Virginis *anima* potita sit. Propterea Romani Pontifices illis adversati sunt qui sanctificatam Virginis animam fuisse dixerunt, potius quam in sui creatione immaculatam ac sanctam.

21. Ita ne? Quis non videat huiuscemodi argumentationem plus speciei quam veritatis habere, ac logicae legibus omnino opponi? Ut id in comperto cuique sit, accuratam disquisitionem aggrediamur.

Et primo quidem nefas est inferre ex vocabulo *sanctificata* Virginem fuisse secundum Angelicum Doctorem revera peccato originali *proprie* et *formaliter* sumpto inquinatam (de quo sermo est in catholico dogmate), si vel ex vocabuli insita potestate, aut saltem ex usu quo ab Angelico Doctore adhibetur, non videatur huiusmodi interpretatio eidem vo-

cabulo tribuenda. At enim neque ex vocabuli insita potestate, neque ex usu quo ab Angelico Doctore adhibetur est haec eidem interpretatio adscribenda. Verbi *sanctifico* rationem detegamus. Quid significat *sanctum efficio?* Porro quod est *essentia* propria sanctum, *effici* sanctum omnino non potest; quapropter sanctificatio *proprie* ei convenit, cui *praeter essentiam* sanctitas inest. Igitur quaelibet creata intelligentia atque anima rationalis, cum *essentialiter* sancta minime sit, sanctificari dicitur, etsi *primo creationis instanti* gratia sanctificante ornetur. Ergo ex vocabuli insita potestate sanctificatio non indicat extitisse *tempus,* quo id quod sanctificatum esse perhibetur fuerit peccato obnoxium.

Neque minus antecedens tempus indicat *assumptio* quam *sanctificatio.* Quis autem inficiatur Verbum *assumpsisse* humanam carnem? Attamen nullum fuit instans in quo Christi humanitas sibi relicta extiterit: eodem instanti quo coepit existere, fuit etiam assumpta.

Sed quid moror? Dicesne *sanctificationis vocabulum* omnino sua natura *connotare,* ut aiunt scholastici, peccatum antecedens, si Christum ipsum impollutum, sanctum, a peccatoribus segregatum, Dei Filium atque adeo Deum, audieris loquentem: « Quem Pater *sanctificavit* et misit in mundum [1]? » Vocabuli ergo virtute niti minime potes, ut Aquinatem privilegio Virginis infensum ostendas, quemadmodum illi extitere quos *sanctificationis,* vocabulo *abutentes* Romana sedes iure meritoque redarguit.

22. Num ex usu quo ab Aquinate idem vocabulum est adhibitum? Absit! Aquinatem ipsum suismet verbis disserentem audiamus. De Christi *sanctificatione* ita loquitur (III. 7, q. 2). « Ad gratiam operantem per se pertinet facere iustum: sed quod iustum faciat ex impio, hoc *accidit* ei ex parte subiecti in quo peccatum invenitur. Anima Christi igitur *iustificata* est per gratiam operantem, in quantum per

---

[1] Ioan. 10, 36.

eam *facta* est iusta et sancta a principio suae conceptionis, non quod ante fuerit peccatrix, aut etiam non iusta. »

Verum etiam dum loquitur (III. 27, 3) de duplici Beatae Virginis sanctificatione (quam *purgationem* nuncupat), qua fuit sanctificata in utero matris et in Christi conceptione, hanc sibi difficultatem enodandam obiicit: « Praeterea Damascenus dicit L. III. orth. fid. c. 2, quod — in B. Virginem supervenit Spiritus Sanctus, *purgans* eam ante conceptionem Filii Dei — *quod non potest intelligi nisi de purgatione a fomite*: nam peccatum non fecit, ut Augustinus dicit in lib. de Natura et Gratia cap. 36, ante med. Ergo *per sanctificationem in utero* non fuit libere mundata a fomite. » Porro huic difficultati ita Sanctus Doctor occurrit: « Spiritus Sanctus in Beata Virgine duplicem purgationem fecit: unam quidem praeparatoriam ad Christi conceptionem, *quae non fuit ab aliqua impuritate culpae* vel fomitis, sed mentem eius magis in unum sustollens. Nam et angeli purgari dicuntur, — in quibus nulla impuritas invenitur, — ut Dionysius dicit 6 cap. Eccl. Hierar. Aliam vero purgationem operatus est in ea Spiritus Sanctus, mediante conceptione Christi, quae fuit opus Spiritus Sancti. Et secundum hoc potest dici quod purgavit eam totaliter a fomite. » Quaenam est secundum Aquinatem culpae *impuritas?* Dubio procul *ratio* formalis culpae, qua Virginis anima impura certe non fuit, etsi nondum a Spiritu Sancto gratia repleta. Ergo, si disserendi rationem qua utitur Aquinas rite perpendamus, affirmare haudquaquam possumus το *sanctificatam* innuere instans temporis, in quo fuerit Virgo culpae originali *formaliter* sumptae subiecta.

De particula « post » significatione.

23. Sed instabis. Esto: si Aquinas sanctificatam fuisse Deiparam solum affirmat, quid si profitetur fuisse sanctificatam *post* animationem? Aperta autem est hac de re Aquinatis sententia. Postquam enim probavit non fuisse sancti-

ficatam ante animationem ait: « Unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit *post* animationem. » (III. 27, 2). Ergo Aquinas vocabulum — *sanctificatam* — adhibet ea significatione quam Romana Sedes proscripsit.

Huic difficultati triplex dari potest responsio. Primam nobis suppedidat cl. Card. Sfrondati (opusc. Innoc. Vind.), atque alii qui eius sententiam sequuntur, qui haec verba, « unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit post animationem » suppositiția esse arbitrantur. Verum cum ab initio huius tractationis decreverim omnia testimonia quae in vulgatis Aquinatis editionibus reperiuntur amplecti, hanc solutionem praetermissam volo.

Alteram probabilem sane exhibet cl. Aquinatis explanator a Porrecta Or. Praed. qua tota corruit difficultas. Hanc suis verbis referre placet. Sic itaque obiectum testimonium explicat.

« Conclusio 3. Sanctificatio B. Virginis fuit post animationem.

« Prob. Quia eius sanctificatio non fuit ante animationem: ut patet ex praemissis conclusionibus.

« Quamvis iuxta corticem literae probatio haec nihil valere, seu concludere videatur, tamen si ad intellectum eiusdem literae penetremus, contrarium esse dicendum constat.

« Cortex sane literae nihil probat, quum ex eo quod sanctificatio non fuit ante animationem non sequitur necessario quod sit post animationem. Nam medium, scilicet instans ipsius animationis, datur inter duo extrema haec, idest inter ly *ante* et ly *post*. In hoc ergo medio potuit esse talis sanctificatio, praesertim cum gratia, sive praesupponat peccatum expellendum sive non, infundatur in instanti (I. II. 113, 7): cujus tamen medii videtur oblitus D. Thomas, dum praedictam sequelam invalidam pro valida in gratia probandae huius conclusionis tertiae praesupponit in textu ly: *unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem.*

« Ad haec respondetur quod probatio illa, seu consequentia, et probat et optime probat intentum. Nec obstant huic quod detur illud medium: quoniam inclusum est hoc medium in consequente, seu in conclusione, dicendo ly *post*. Nam ly *post* denotat hic duo, scilicet ordinem temporis (quod patet) et ordinem naturae (quod quasi latet). Sic enim posse dupliciter accipi ly *post*, Philosophus in post praedicamentis (cap. de priori) docuit per hoc, quod ibi ostendit, eius correlationem scilicet *prius* dici duobus modis, videlicet prius natura et prius tempore. Utroque autem modo, ut dicebatur, sumitur hic, ac si dixisset textu sic: unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem, natura vel tempore, idest posterioritate *vel* naturae *vel* temporis. Quid vero sit posterioritas naturae vel temporis patet ibid. per Philos. in eius correlativo scilicet *prius*, quoniam prioritas naturae est, quando aliquid intelligitur secundum naturam suam esse prius alio, etiam si secundum tempus ambo essent simul; prioritas autem temporis est, quando aliquid non tantum secundum naturam suam intelligitur esse prius alio, sed et in rei veritate praecedit illud, secundum tempus. Sic ergo a simili de posterioritate dicas.

« Exempli causa in proposito. Sanctificatio post animationem posterioritate naturae facta est, si in eodem instanti temporis quo animatum est illud corpus facta fuit. Tunc enim intelligeretur quidem, animam prius advenisse corpori (maxime cum neque anima sit antequam infundatur ei, neque persona B. Virginis sit antequam anima coniungatur corpori), postea vero ipsam fuisse sanctificatam; sed tamen utraque, scilicet infusio animae in corpus et sanctificatio, idest infusio gratiae in animam, fuisset simul tempore, imo in eodem instanti temporis. Item: sanctificatio post animationem posterioritate temporis facta est, si inter adventum animae in corpus ideoque constitutionem personae B. Virginis, et inter infusionem gratiae sanctificationis fuit aliquod tempus medium.

« Vides ergo, quod quocumque istorum modorum post animationem facta sit sanctificatio, tunc verificatur, quod Beata Virgo fuit sanctificata: quod tamen verificari non posset, si ante animationem sanctificari poneretur. Unde et conclusio prima dixit, quod sanctificatio Beatae Virginis non potest intelligi fuisse ante animationem. Tum enim nondum erat Beata Virgo, seu persona eius, licet esset embrio ille seu fetus, caro et corpus, ad cuius coniunctionem actualem cum anima rationali, tum primo statim secuta est personalitas B. Virginis.

« Nota: pro firmandis praedictis de ly *post animationem*, adverte, quod S. Doctor se habere ibi talem mentem monstravit ex eo quod aperte declaravit in 3, sent. (III. 1, 1), se cognoscere, quod inter extrema haec, scilicet ante animationem et post animationem, datur medium, scilicet instans animationis. Per hoc enim manifestavit se scire, praedictam consequentiam sic tantum literaliter iacentem (ut praefertur) non esse validam, et per consequens probationem conclusionis tertiae nihil concludere; ideoque conclusionem ipsam, pro quanto ex illa probatione pendet, reddi infirmam. Quae tamen omnia cum valida et firma hoc in loco esse voluerit, necessarium omnino est dicere, quod ipsum Doctorem sanctum et intendisse et ab aliis intelligi voluisse, praemissum sensum circa ly *post*: sic quod accipitur hic utroque modo, idest et ut dicit posterioritatem temporis, et ut dicit posterioritatem solum naturae, ut supra declaratum est. »

Quam ob rem ex obiecti testimonii contextu patet nullo iure nos posse ita coarctari significationem *post*, ut designatam esse dicamus solam *posterioritatem temporis*. Ergo difficultas tota quanta est corruit. Non enim ex hoc testimonio constat Aquinatem ita adhibuisse vocabulum sanctificationis, quod attinet ad Dei Matrem, ut indicet eiusdem sanctificationem praesupposuisse originale peccatum formaliter sumptum, quod a Sede Apostolica iure merito fuit proscriptum. Sed ad tertiam propositae difficultatis solutionem venio.

Itaque dico: si logica inferendi vis attendatur, illud *post* quod sequitur demonstrationem ab Aquinate relatam, qua ostendebat Deiparam non fuisse sanctificatam ante animationem, profecto significationem praesefert indeterminatam *vel* secundum posterioritatem naturae, *vel* secundum posterioritatem temporis. Hac in re cl. explanatori assentior. Verum si praeterea ex Aquinate sciscitari velimus, quanam significatione idem *post* usurpet, abstractione facta ab eadem inferendi logica vi, dubio procul affirmaret, ea significatione se illud *post* usurpare quae unam designat naturae posterioritatem. Quandoquidem et explicite et implicite (Sect. II.) docuit Deiparam a peccato originali formaliter sumpto fuisse immunem. Si secus dicamus, Aquinatem in turpem contradictionem lapsum fuisse vel mutasse sententiam et de hac mutatione non monuisse lectorem, quamquam sit res magni momenti, sine ullo prorsus iure asseverabimus.

SECTIO V.

PRAETER IUS EA AQUINATI DE VIRGINIS REDEMPTIONE ADSCRIBITUR DOCTRINA QUAE CUM SENTENTIA CATHOLICA MINIME COMPONI POTEST.

Redemptionis duplex ratio.

24. Illud etiam nobis pertractandum est quod ad B. Virginis Mariae redemptionem attinet. Qua in re Aquinatis sententiam catholicae doctrinae oppositam esse demonstrari nequaquam posse arbitror. Secundum catholicam doctrinam Virgo redempta dici debet, atque adeo praestantiori redemptione, utpote ab incurrenda culpa, cuius anima in primo creationis instanti fuit praeservata. Verum affirmat ne Aquinas B. Virginem minime esse redemptam? Huiusmodi opinio nullius in mentem obrepere potuit; centies enim Angelicus Doctor Virginem redemptam esse a Christo profitetur. Po-

tius plurimos invenio dicentes Aquinatem originali peccato subiecisse Virginem, eo quod fuit redempta. Ita ne? Ergo Aquinatis argumentatio ad hoc enthymema revocaretur: Beata Virgo fuit a Christo redempta: ergo eius anima in primo creationis instanti ab originali culpa praeservari haud potuit. Cum autem haec illatio omnino falsa sit, dicendus est legum, quae logicam inferendi vim definiunt, fuisse Aquinas immemor. Non ita, inquies, sed illam redemptionem qua quis a debito incurrendi culpam eximitur, quamquam praestantiorem, omnino videtur ignorasse. Tanta ne inscitia in Doctore Angelico esse potuit?

25. Non facile id sibi persuaserit qui haec apud Aquinatem legerit. « Hoc est erroneum dicere, quod aliquis sine peccato originali *concipiatur* (sc. in feto inanimati conceptione, non subiiciatur originali peccato instrumentaliter sumpto quia in *conceptione* nondum existit anima rationalis, quae sola potest esse *proprium subiectum* aut gratiae aut peccati formaliter sumpti) praeter Christum; quia ille qui sine peccato originali conciperetur, non indigeret redemptione, quae facta est per Christum: et sic Christus non esset omnium hominum Redemptor. Nec potest dici, quod non hac redemptione indiguerunt, quia praestitum fuit eis ut sine peccato conciperentur; quia illa gratia facta est parentibus, non ut in eis vitium naturae sanaretur, quo manente, sine originali peccato generare non possent; vel ipsi naturae quae sanata est. Oportet autem ponere quod quilibet *personaliter* redemptione Christi indigeat, non solum ratione naturae. Liberari autem a malo vel a debito absolvi non potest nisi qui debitum incurrit, vel in malum deiectus fuit: et ita non possent omnes fructum dominicae redemptionis in seipsis percipere, nisi omnes debitores nascerentur, et malo subiecti; unde dimissio debitorum et liberatio a malo non potest intelligi, quod aliquis sine debito, vel immunis a malo nascatur (IV. Dist. 43, 1, art. 4, Sol. 1. ad 3). » Quamquam huius testimonii vim sis facile percepturus, postquam ea quae de

transmissione originalis peccati subdam; tamen ad propositum pertinet hic animadvertere a) difficultatem, cui allata responsione satisfacit Aquinas, eo spectare ut esse dicatur homo non solum liber futurus a peccato originali, sed etiam a debito idem peccatum contraendi: b) secundum loquendi rationem, qua utitur Aquinas, duplicem esse secernendam nativitatem, aliam in utero, quae proprie est conceptio, aliam ex utero, de quibus egit in praecedenti distinctione (et non raro alibi); neque fas esse ita nos interpretari Aquinatem, ut dicamus eum subiecisse omnes post nativitatem ex utero vel peccato originali vel debito hoc contrahendi, sed potius omnes homines subiecisse vel peccato vel debito in prima nativitate quae in utero fit. Aiebam illud primum nos dicere non posse, quia nemo, secundum Aquinatem, nascitur ex utero cum solo debito contraendi peccatum originale, plures autem secundum sanctum Doctorem ex utero sine originali peccato nati sunt. Ceterum satis clare ex hoc testimonio patet Angelicum Doctorem non ignorasse eam redemptionem, quae a debito contrahendi originale peccatum fieri posse concipitur.

At enim non modo, ut ex allato testimonio constat, nota erat Aquinati huiusmodi redemptio a debito incurrendi culpam, sed dubio procul ipsam etiam arbitrabatur praestantiorem esse ea qua quis a patrata culpa solvitur. Nonne enim is est Aquinas, qui talia profert (Sum. Th. I. q. 20, 4 ad 4)? « Sive sint innocentes sive poenitentes, illi sunt meliores et magis dilecti qui plus habent de gratia: ceteris tamen paribus innocentia *dignior* est et *magis dilecta*. » Ergo *dignior* magisque *a Deo dilecta* Virgo extitisset, si ea redemptione fuisset redempta quae a peccato incurrendo immunem praeservat.

Etiam Card. Caietanus arbitratur Aquinatem cognovisse redemptionem ex debito. In tractatu enim de Conc. B. Virg. c. III. ait: « Dicitur captivus non solum qui totaliter in captivitatem est redactus, sed qui coepit in sua aliqua parte duci in captivitatem, et obnoxius est captivitati. Et similiter

dicitur mors peccati non solum ipsa actualis mors, sed debitum et initium in propria persona habendi illam. Et similiter dicitur a peccato originali mundatus non solum qui contracta actuali macula mundatus est, sed qui a macula quidem in debito et initio in propria persona fundato mundatus est. Nec potest quisquam dicere de mea haec phantasia me proferre; sed videatur D. Thomas in I. II. quaest. 81, art. 3 sustinens, quod per mortem sufficit intelligere debitum seu reatum, in propria persona, mortis, quamvis actualiter quis mereretur. » Et haec profert Card. Caietanus ubi ostendit Deiparam redemptionis fuisse omnino indigam etiam in eorum sententia, qui profitebantur uni debito contrahendi originale peccatum extitisse obnoxiam.

Accedit et cl. a Porrecta in explan. III. P. Sum. quest. 27, art. 2: « Scire oportet, quod illud de fide creditum, scilicet quod omnium hominum Christus est Salvator a peccatis eorum, intelligitur duobus modis. Et quicumque istorum modorum de aliquo homine verificatur, salvatur fides illa. Primus itaque modus est; quod alicuius iam sub peccato actualiter existentis sit Salvator, id est de facto extrahens eum ex illo peccato. Secundus autem est, quod alicuius in periculo cadendi in peccatum existentis, sit Salvator, id est de facto retinens eum ne cadat in peccatum illud. Hos duos modos salvandi homines novit D. Thomas Ecclesiae Sanctae Doctor eximius, ut ipse post D. Augustinum in I. II. quaest. 106, art. 2, manifestat.... Per necessariam ergo sequelam patet B. Thomam novisse hoc, scilicet quod Beata Virgo, etiamsi nunquam actualiter incurrisset maculam (*formalis culpae*) originalis culpae, indiguisset redimi per Christum a peccato, et consequenter non tolleretur propter hoc a Christo suum privilegium, scilicet quod sit salvator omnium hominum, salvasset enim etiam tunc Matrem suam a culpa originali, in quam utique de facto cecidisset, si ipse eam a casu tali non praeservasset. »

26. Hisce positis insto, quo iure illa enthymematis illatio

Aquinati adscribitur? Num vel semel affirmat absolute (nempe semotis omnibus orationis temperamentis, quae sententiam coarctare solent) Virginem, in primo instanti quo anima eius fuit e nihilo educta et in corpus infusa, subiacuisse culpae originali? Nequaquam. Sed eius affirmatio his terminis continetur: « Quocumque modo *ante animationem* Beata Virgo sanctificata fuisset, *nunquam* incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione (III. 27, 2). » Itaque secundum Aquinatem, ut Virgo dicatur sitque redempta, dici non potest ab originis peccato immunis « quocumque modo ante animationem, » sed *ante* animationem eidem subiacuisse est dicenda. Quam ob causam? Si penitus Aquinatis mentem rimari velimus, dicendum videtur esse: quia secus debito reali contrahendi originalem culpam in primo creationis instanti Virginis anima non subiacuisset.

Debitum reale in quo situm.

Et re quidem vera debitum *reale* quo obstringebatur Virgo ad peccatum originis formaliter sumptum contrahendum in prima animae creatione, ni fallor, secundum Aquinatem in hoc erat situm, quod peccatum originis erat in semine et in fetu inanimi ex quo effectum fuit Virginis corpus, contentum tamquam in causa instrumentali. Quapropter, nisi Deus praetergrediens consuetum generationis ordinem singulari privilegio creasset animam Virginis immaculatam et sanctam, eo ipso quod copulata fuisset fetui, qui ad originis culpam *praeseferebat ordinem*, huic culpae Virginis anima in prima sua existentia fuisset obnoxia. In fetu autem inanimi instrumentaliter peccatum originis erat contentum, non propter additionis alicuius pravae *entitatis*, aut propter gratiae sanctificantis privationem *(cuius subiectum esse nequit fetus aut semen)* sed vi ipsius generationis ex immediatis parentibus atque ex Adamo.

Ad haec probe intelligenda expedit in medium afferre

Aquinatis doctrinam de originalis peccati *transmissione*, quam perperam plures interpretantur. « Omnes homines, ait Aquinas (I. II. 81, 1), qui nascuntur ex Adam, possunt considerari ut unus homo, in quantum conveniunt in natura quam a primo parente accipiunt; secundum quod in civilibus omnes homines, qui sunt unius communitatis, reputantur quasi unum corpus, et tota communitas quasi unus homo; sicut etiam Porphyrius dicit cap. de specie circ. med., quod *participatione speciei plures homines sunt unus homo.* Sic igitur multi homines ex Adam derivati sunt tamquam multa membra unius corporis. Actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animae, quae primo movet membrum. Unde homicidium quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se, ut divisa a corpore; sed imputatur ei, in quantum est aliquid hominis quod movetur a primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio, quae est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis qui movet motione generationis omnes qui ex eius origine derivantur, sicut voluntas animae movet omnia membra ad ad actum. Unde paccatum quod sic a primo parente in posteros derivatur, dicitur *originale,* sicut peccatum quod ab anima derivatur ad membra corporis, dicitur *actuale;* et sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur *peccatum humanum:* ita peccatum originale non est peccatum hujus personae, nisi in quantum haec persona recipit naturam a primo parente; unde et vocatur *peccatum naturae,* secundum illud Ephes. 2. 3: *Eramus natura filii irae....* Etsi anima non traducatur, quia virtus seminis non potest causare animam rationalem, movet tamen ad ipsam *dispositive.* Unde per virtutem seminis traducitur humana natura a parente in prolem, et simul cum natura naturae infectio.

Ex hoc enim fit iste, qui nascitur, consors culpae primi parentis, quod naturam ab eo sortitur per quamdam generativam motionem. » Et etiam (de Malo IV. 6): « Peccatum originale primo considerandum est in Adam ut in quodam principio, a quo derivatur ad omnes qui ab eo moventur. Sicut autem moventur partes unius hominis per imperium voluntatis, ita movetur filius a patre per vim generativam: unde Philosophus dicit in II. Phys., quod pater est causa filii ut movens; et in libro de Generat. animal. dicitur, quod in semine est quaedam motio ab anima patris, quae movet materiam ad formam concepti. Sic ergo huiusmodi motio, quae est per originem a primo parente, derivatur in omnes qui seminaliter ab eo procedunt; unde omnes qui seminaliter ab eo procedunt, contrahunt ab eo originale peccatum. » Ex hac Aquinatis doctrina de peccati originalis transmissione inferre possumus huiuscemodi argumentationem. Non potest abesse a naturali generatione, quae maris feminaeque congressu accidit, motio ab anima patris progrediens, cuius motionis virtute embrio organismum suscipit: atqui originale peccatum, prouti *instrumentaliter* consideratur in semine, in huiusmodi motione continetur ab immediato parente atque Adamo protoparente derivata: quocirca originale peccatum virtualiter sumptum a semine atque ideo a fetu inanimi in ea generatione, quae fit ordine naturae servato, abesse nequit. Adest huiusmodi motio ab Adamo iam primitus digressa? Ergo etiam semen et fetus inanimis, qui hanc habet motionem, praesefert ordinem ad personam humanam peccato originali *formaliter* sumpto subiectam: et propterea debitum reale contrahendi originale peccatum in generatione humana ex peccato originali in semine et in fetu inanimi instrumentaliter existente oritur. Quamobrem, est ne redempta Virgo? Dubio procul. Ergo aut fuit obnoxia peccato originali formaliter sumpto, dum primo eius anima creata est et corpori copulata, aut saltem reali debito illud contrahendi fuit obnoxia. Primum dici omnino de Virgine

non potest (Sect. 2), cum sit Mater Dei, in qua nihil inquinatum unquam fuisse excogitari potest. Ergo alterum dicendum est; atque idcirco originale peccatum in eius fetu inanimi instrumentaliter contentum fuisse affirmandum est.

Ut autem, hisce rite discussis *ad Aquinatis mentem,* eo revocetur oratio a quo discessit, iterum quaero: Quo iure quis asserere potest Aquinatis doctrinam, quod ad Virginis redemptionem attinet, esse oppositam doctrinae quae oraculo Romanae Sedis est definita? Affirmat Romana Sedes Virginem esse redemptam? affirmat etiam Aquinas. Affirmat Romana Sedes Virginem esse ab originali peccato, singulari privilegio ac meritorum Christi intuitu, praeservatam primo instanti *quo anima eius creata fuit et in corpus infusa?* id minime inficiatur Aquinas, dum profitetur non fuisso praeservatam in conceptione fetus *ante animationem* ab originali peccato in eodem fetu *instrumentaliter* contento; atque idcirco a debito reali contraendi peccatum originale, formaliter sumptum, non fuisse immunem, eo quod secus Christi redemptione non indiguisset.

SECTIO VI.

ARTICULUS II. QU. 27, III. P. SUM. DECLARATUR.

27. Plurimos sane reperi, qui ex art. cit. doctrina inferre contendunt Aquinatem Deiparae Immaculatae privilegio adversam professum esse sententiam. Verum, ni mea me fallit opinio, id ex eo accidit, quod ad significationem vocabulorum — *conceptionis* et *animationis* -- non adverterint; distinctionem inter peccatum originale instrumentaliter sumptum et proprie ac formaliter acceptum non probe tenuerint; nec, prouti par erat, huius articuli scopum ad quem tota eiusdem articuli doctrina referenda est, bene perpenderint. Quamobrem arbitror omnes difficultates facili negotio me esse soluturum, si Aquinatis articulo eam subiiciam interpre-

tationem qua et vocabula secundum Aquinatis mentem usurpentur, et sententiae secundum eiusdem S. Doctoris doctrinam hactenus enodatam explicentur, et singula ad articuli scopum certo ordine perspicue disponantur.

S. THOMAE TEXTUS.

UTRUM B. VIRGO FUERIT SANCTIFICATA ANTE ANIMATIONEM.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod Beata Virgo sanctificata fuerit ante animationem, quia, ut dictum est art. praec., plus gratiae est collatum Virgini Matri Dei quam alicui sanctorum. Sed quibusdam videtur esse concessum quod sanctificarentur *ante* animationem, quia, ut dicitur Ierem. 1, 5: « Priusquam te formarem in utero novi te: » *non autem infunditur anima ante corporis formationem.* Similiter etiam de Ioanne Baptista dicit Ambrosius super Luc. cap. 1, sup. illud: « Et Spiritu Sancto replebitur: » quod nondum inerat ei spiritus vitae, et iam

DECLARATIO.

UTRUM B. VIRGO FUERIT SANCTA ET A PECCATO ORIGINALI MUNDA ANTEQUAM EIUS ANIMA ESSET CREATA ET IN CORPUS INFUSA.

Videtur ita fuisse, quia 1. Deus aliquibus sanctis hoc privilegium concessit, ut essent sancti et peccato originali mundi, antequam eorum animae essent creatae et in corpus infusae scilicet ante animationem. Atqui Virgini Deiparae non est denegandum ullum privilegium, quod aliis a Deo est concessum. Ergo non est Virgini Deiparae denegandum, quod fuerit sancta atque a peccato originali munda, antequam eius anima esset creata et in corpus infusa scilicet ante animationem.

inerat ei spiritus gratiae. Ergo multo magis B. Virgo *ante* animationem sanctificari potuit.

2. Praeterea conveniens fuit, sicut Anselmus dicit in lib. de Conceptu virginali cap. 18, parum a princ.: « Ut illa Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. » Unde et Cant. 4, 7 dicitur: « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. » Sed maior puritas fuisset B. Virginis, si nunquam anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati. Ergo hoc ei praestitum fuit, ut *antequam* animaretur *caro* eius sanctificaretur.

3. Praeterea, sicut dictum est art. praec. non celebratur festum nisi de aliquo sancto. Sed quidam celebrant festum Conceptionis B. Virginis. Ergo videtur quod in ipsa sua conceptione fuerit sancta; et ita quod *ante* animationem fuerit sanctificata.

2. Immunitas ab originali peccato etiam *instrumentaliter* sumpto, antequam Virginis anima crearetur et in corpus infunderetur, redundat in eiusdem Virginis puritatem. Atqui quidquid in Virginis puritatem redundat, hoc est Virgini concedendum. Ergo immunitas ab originali peccato, etiam *instrumentaliter* sumpto seu ante animationem, scilicet antequam Virginis anima crearetur et in corpus infunderetur, est eidem concedenda.

3. Non celebratur festum nisi de sancto. Atqui celebratur festum de Virginis conceptione. Ergo Virginis conceptio est sancta. Atqui conceptio est primus generationis terminus, fitque prius tempore quam anima creetur et in corpus infundatur. Ergo celebratur festum de Virgine, cuius anima nondum est creata et in corpus infusa; et propterea Virgo fuit ab originis peccato munda, antequam

4. Praeterea, Apostolus dicit Rom. 2, 16: Si radix sancta, et rami. Radix autem filiorum sunt parentes eorum. Potuit ergo B. Virgo sanctificari etiam in suis parentibus, *ante* animationem.

Sed contra est quod ea quae fuerunt in veteri Testamento, sunt figura novi, secundum illud 1 ad Cor. 10, 12: « Omnia in figura contingebant illis. » Sed per sanctificationem tabernaculi, de quo dicitur in Psal. 45, 5: « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus » videtur significari sanctificatio Matris Dei, quae tabernaculum Dei dicitur, secundum illud Ps. 18, 6: « In sole posuit tabernaculum suum. » De tabernaculo autem dicitur Exod. ult. 31: « Postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud. Ergo etiam B. Virgo non fuit

eius anima crearetur et in corpus infunderetur.

4. E parentibus sanctis non transmititur peccatum originale in fetum inanimatum. Atqui Virginis parentes sanctitate praediti fuere. Ergo etiam ab eisdem potuit non transmitti peccatum originale in fetum inanimatum. Ergo potuit fetus carere originali peccato, antequam Virginis anima crearetur et in corpus infunderetur.

Sed contra, simili ratione loquendum est de Salomonis templo, ac de Virgine. Atqui Salomonis templum nequivit sanctitate ornari, *antequam* esset. Ergo Virgo Deipara nequivit sanctitate ornari, atque ideo a peccato originali immunis esse, *antequam* corpus fuisset perfectum et anima crearetur et in idem corpus infunderetur seu ante animationem.

(Probabile esse autumo extitisse olim sententiarum diversitatem circa Virginis immunitatem a peccato originali *instrumentaliter sumpto ante animationem*, et concordiam circa immunitatem ab originali formaliter accepto in pri-

sanctificata, nisi postquam cuncta eius perfecta sunt, scilicet et corpus et anima.

Respondeo dicendum quod sanctificatio B. Virginis non potest intelligi *ante* eius animationem duplici ratione: primo quidem, quia sanctificatio, de qua loquimur, non est nisi emundatio a peccato originali; sanctitas enim est perfecta munditia, ut Dionysius dicit in 12 cap. de divinis Nom. parum a princ. Culpa autem non potest emundari nisi per gratiam, cuius subiectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animae rationalis B. Virgo sanctificata non fuit. Secundo, quia cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpae, ante infusionem animae rationalis proles concepta non est culpae obnoxia. Et sic quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute, quae est per Christum, de quo dicitur Matth. 1.

mo animationis instanti. *In re* est ea controversia quae modo viget inter aliquos pios: utrum *a debito reali* contrahendi originale fuerit Virgo immunis.)

Respondeo dicendum Virginem Deiparam non fuisse sanctam et a peccato originali mundam, antequam eius anima crearetur et in corpus infunderetur seu ante animationem.

Et re quidem vera, sanctitas, de qua hic est sermo, est a peccato originali munditia. Porro peccatum originale potest ac debet considerari duplici ratione (n. 15): 1. *formaliter* seu in subiecto *proprio*, quod est anima rationalis; 2. *instrumentaliter*, nempe ut in causa instrumentali, quod est semen conceptum aut inanimis fetus, et ut sic *culpa* proprie dici non potest sed potius dispositio ad culpam. Quibus definitis, inquam:

a) Non potuit Virgo, antequam eius anima crearetur et in corpus infunderetur, dici formaliter sancta et detersa a peccato originali *proprie* et *formaliter* sumpto; quia sanctitatis formaliter sumptae ne-

21 : « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » Hoc autem inconveniens est, quod Christus non sit Salvator omnium hominum, ut dicitur 1 ad Timoth. 4. Unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem.

quit esse subiectum conceptum semen aut fetus inanimis, et quia huic nunquam inesse potuit originale peccatum *proprie* et *formaliter* sumptum.

b) Nec etiam potuit Virgo, antequam eius anima crearetur et in corpus infunderetur, dici sancta et munda a peccato originali *instrumentaliter* sumpto ; idque propter duas rationes.

Prima ratio haec est. Sola gratia est expultrix peccati (n. 14), ut lux tenebrarum. Ergo ad arcendum peccatum originale a fetu inanimi, in quo *instrumentaliter* continebatur (n. 15) si posset arceri, gratia opus fuisset. At enim dicere nequimus semen in conceptione fetus aut ipsum fetum inanimem gratia informari, « cuius subiectum est sola creatura rationalis. »

Secunda ratio haec est. Si, ante creationem animae, sancta et ab originis culpa munda extitisset Virgo in semine concepto aut in fetu inanimi, qui personae existentiam *praecessit*, in eodem semine aut fetu locum non habuisset peccatum originis nec *instrumentaliter*

sumptum, atque ideo nec reale debitum (n. 25) contrahendi originale peccatum *proprie* et formaliter sumptum in primo instanti quo anima eius fuit creata et in corpus infusa. At enim, remoto debito reali, nulla ab originali peccato redemptio re quidem vera adfuisset, quae sententia respuenda est. Ergo nequaquam est dicenda fuisse Virgo sancta et ab originali peccato munda, antequam eius anima crearetur et in corpus infunderetur seu ante animationem.

Cum autem Virgo Deipara non fuerit sancta, ante creationem animae: dicenda est sancta fuisse in primo creationis instanti (Sect. II.). Porro cum soleat theologice distingui prioritas temporis a naturae prioritate, si de prima sit sermo, nequit affirmari Virginem fuisse sanctificatam *post* animationem, seu postquam eius anima fuerit creata et in corpus infusa. At enim, cum gratia praesupponat naturam tamquam proprium subiectum, cumque anima creetur ut corporis forma («actus proprius fit in potentia propria. Cum ergo anima sit pro-

prius actus corporis, anima producta est in corpore, » I. 90, 4), consequitur, naturae prioritate solummodo inspecta, posse Virginem post animationem appellari sanctam (Sect. IV.). Hanc nobis doctrinam supra scite tradidit a Porrecta. Egregie etiam Salmeron de similitudine allata in corpore artic. ait Tom. XIII Lib. II. in Epist. B. Pauli ad Romanos Disp. L. « Illud vere quod ex mystico sensu a libro Exodi afferunt, quod operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud *postquam* omnia perfecta sunt, ut prius fuerit Virgo, quam nube Spiritus Sancti sanctificantis operta, parum solidum videtur. Quia... nihil prohibet prius esse quam sanctificatum esse, *sed prius natura, non tempore.* »

Ad primum ergo dicendum quod Dominus dicit, ante formationem in utero se Ieremiam novisse, notitia scilicet praedestinationis; sed sanctificasse dicit eum non ante formationem, sed antequam exiret de ventre. Quod autem Ambrosius dicit, quod Ioanni Baptistae nondum inerat spi-

Ad 1. nego maiorem, concedo minorem, et idcirco consequens nego. Nemini enim concessa est gratia sanctificans, antequam eius anima crearetur et in corpus infunderetur. Nemo fuit expers debito contrahendi peccatum originali formaliter acceptum, et idcirco in cuiuscumque

ritus vitae, cum iam haberet spiritum gratiae, non est intelligendum secundum quod spiritus vitae dicitur anima vivificans, (sc. rationalis) sed secundum quod spiritus vitae dicitur äer exterius respiratus. Vel potest dici quod nondum inerat ei spiritus vitae, idest anima, quantum ad manifestas et completas operationes ipsius.

Ad secundum dicendum quod si nunquam anima Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tanquam universalis salvator, maxima fuit B. Virginis puritas. Nam Christus nullo modo contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secundum illud Luc. 1,35: « Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. » Sed B. Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata, antequam ex utero nasceretur. Et hoc signatur Iob 3, 9, ubi de nocte originalis peccati dicitur: « Exfetu ante animationem erat peccatum originale instrumentaliter sumptum.

Ad 2. Ex peccato originali *instrumentaliter* contento in fetu inanimi nulla veri nominis labes in Virginis animam redundavit, si dicamus (prouti sumus professi in Sect. II.) eamdem fuisse sanctam et mundam creatam et in corpus infusam. Si nunquam et nullo modo fuisset Virgo peccato originali subiecta, scilicet nec prouti consideratur in sua anima aut propria personalitate gaudens, nec prouti considerari potest in parentibus aut in fetu inanimato (n. 15), non indiguisset redemptione quia carnisset debito subiacendi, quod derogat dignitati Christi. Et ideo sub Christo qui salvari non indiguit *maxima* fuit Beatae Virginis puritas. Quam ob rem Christus

pectet lucem (id est Christum), et non videat, *quia* nihil inquinatum incurrit in illam » ut dicitur Sap. 7, 25, « nec ortum surgentis aurorae, » id est B. Virginis, quae in suo ortu a peccato originali fuit immunis.

nullo modo fuit subiectus originali peccato, nec *proprie* et *formaliter*, nec *instrumentaliter* sumpto, Virgo autem fuit obnoxia peccato originali *instrumentaliter* sumpto in parentibus et in fetu anima rationali nondum informato, non autem fuit peccato originali *proprie* et *formaliter* sumpto obnoxia prouti consideratur propria personalitate gaudens (Sect. II.); *et eius caro fuit sancta aceessu animae rationalis*, quae fuit in sanctitate creata et in corpus infusa. Nam « in partibus hominis (III. Dist. III. l. 1, q. 2) est talis ordo, quod anima est Deo propinquior quam corpus. Sed virtus alicuius agentis prius pervenit ad ea quae sunt sibi propinquiora et per ea ad magis distantia. Ergo gratia a Deo venit ad corpus per animam. Ergo *antequam* animaretur, sanctificari non potuit » : quamvis potuerit atque adeo sanctificata fuerit in primo instanti quo persona virginis fuit concepta quod est primum animationis instans.

Non quidquid aliquo modo redundat in puritatem Virgi-

nis *extrinsecus* debet affirmari, secus foret dicendum etiam quod parentes Virginis et Joseph eius sponsus non subiecerint peccato originali, sed affirmandum est quidquid redundat in puritatem intrinsecam Beatae eius animae.

Ad tertium dicendum quod licet Romana Ecclesia conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum [1] illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc quod festum conceptionis celebratur, datur intelligi quod Virgo in sua conceptione fuerit sancta; sed quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius quam conceptionis in die conceptionis ipsius.

Ad 3. Concedo maiorem. Dist. min. Celebratur ab Ecclesia Romana, nego minorem; ab aliis concedo: nihilominus « Romana Ecclesia tolerat consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium. » Distinguo consequens. Est sancta conceptio personae, quae est ultimus terminus *ad quem* in humana generatione, concedo; est sancta conceptio fetus inanimati, qui est primus terminus *a quo* in eadem generatione, nego: fetus enim inanimatus sanctificante gratia ornari minime potest. Nego autem alterum consequens: celebratur enim festum conceptionis personae seu animationis, in qua anima Virginis *fuit sancta creata et in corpus infusa* [1]. Celebratur autem

[1] Apposite Chrystophorus de Vega S. I. « Celebritatem illam de *prima* conceptione inanimata B. Virginis, quae ab Ecclesia tolerabatur tempore D. Thomae, solum ab ipso reprehensam et a D. Bernardo, non tamen celebritatem de sanctificatione formali facta in primo instanti conceptionis *secundae.* » (Theol. Mor. Tom. I. Palaestra III. n. 250).

[1] Cf. Alexand. VII. Pium P. IX. loc. cit. Sect. I. Benedict. XIV. de Festis c. 15.

personae conceptio eo die quo facta est fetus inanimati conceptio; quia diem quo anima creatur et in corpus infunditur *certa scientia* scire haud possumus. Quod si dicitur celebrari dies festus *sanctificationis*, huic voci ea significatio est concedenda, quae componitur cum *maxima* puritate B. Virginis et immunitate a peccato originali proprie formaliterque sumpto (Sect. II.). Ideo ea vox non designat *purgationem ab impuritate culpae praeexistentis;* sed cum de Virgine loquimur, adhibetur eo sensu quo adhibetur dum de angelis est sermo. Eatenus tantum dici potest Virgo *sanctificata*, quatenus non fuit *essentialiter* sancta; sed gratia accessit naturae, ut proprio subiecto, primo instanti quo eius anima existere coepit (Sect. IV.).

Ad quartum dicendum quod duplex est sanctificatio: una quidem totius naturae, in quantum scilicet tota natura humana ab omni corruptione culpae et poenae liberatur; et haec erit in resurrectione. Alia vero est sanctificatio personalis, quae non transit in

Ad 4. Distinguo maiorem. Si generatio accidat praeter ordinem naturae, transeat maior [1]: si ita fiat secundum or-

[1] En Aquinatis sententia hac de re (I, II. 81, 4, et 5): « Peccatum originale a primo parente traducitur in posteros, in quantum moventur ab ipso per generatio-

prolem carnaliter genitam, quia talis sanctificatio non respicit carnem, sed mentem. Et ideo, etsi parentes Beatae Virginis fuerint mundati a peccato originali, nihilominus B. Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam [1] ex commixtione maris et feminae. Dicit enim Augustinus in lib. 1. de Nuptiis et Concupiscentia cap. 12, circ. princ. « Omnem quae de concubitu nascitur, carnem esse peccati. »

dinem naturae ex mari et femina, ut adsit motio ab anima patris derivata, prouti in praesenti quaestione factum fuisse est dicendum, nego maiorem. Distinguo minorem. Fuere sancti sanctificatione personali et respiciente per se non carnem sed mentem, concedo: fuere sancti sanctificatione totius naturae, respiciente per se simul carnem et mentem, nego. Nego autem consequens utrumque.

---

[1] Motio, quae ab *unius* patris anima progreditur, non est permiscenda cum *actuali* concupiscentia utriusque parentis, quae libido ab Aquinate nuncupatur, et ad transmissionem originalis peccati non est *absolute* necessaria. « Libido nominat inordinatam concupiscentiam actualem.... Libido actualis non est causa quod transmittatur originale peccatum, sed signum causae. Unde si miraculose fieret ut actualis libido totaliter removeretur, coitu manente, tamen nihilominus proles traheret peccatum originale. Unde Augustinus cum dixit, quod libido transmittit peccatum, posuit signum pro signato » (De Malo q. 4, art. 6, ad 16).

nem, sicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale. Non autem est motio ad generationem nisi per virtutem activam in generatione. Unde illi soli peccatum originale contrahunt qui ab Adam descendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adam derivatam, quod est secundum *seminalem rationem* ab eo descendere; nam ratio seminalis nihil aliud est quam vis activa in generatione. Si autem aliquis formaretur virtute divina ex carne humana, manifestum est quod vis activa non derivaretur ab Adam. Unde non contraheret peccatum originale; sicut nec actus manus pertineret ad peccatum humanum, si manus non moveretur a voluntate hominis, sed ab aliquo extrinseco movente... Manifestum est autem secundum doctrinam philosophorum, quod principium activum in generatione est a patre, materiam autem mater ministrat.

Unde peccatum originale non contrahitur a matre, sed a patre. Et secumdum hoc, si, Adam non peccante, Eva peccasset, filii originale peccatum non contraherent; e converso autem esset, si Adam peccasset et Eva non. » Secundum hanc doctrinam ait (Contra Gen. IV. 52): « Licet Christus a primo parente secundum carnem descenderit, non tamen inquinationem originalis peccati (sc. nec instrumentaliter accepti) incurrit: quia materiam humani corporis solum a primo parente suscepit; virtus autem formativa corporis eius non fuit a primo parente derivata, sed fuit virtus Spiritus Sancti: unde naturam humanam non ab Adam accepit sicut ab agente, licet eam de Adam susceperit sicut de materiali principio. »

Hactenus Aquinatis personam gerere studui, atque eius doctrinae eam apponere declarationem, quae sancti Doctoris principiis tum philosophicis tum theologicis cohaeret. Quam si sequaris, nullo negotio eorum difficultates enodabis qui existimant, Aquinatem hoc articulo doctrinam de Virgine Deipara talem protulisse, quae directe catholicae doctrinae nostris temporibus pontificio oraculo definitae opponatur.

SECTIO VII.

DIFFICULTATI EX COMMENTARIO IN SENT. L. III. DIST. III. PETITAE OCCURRITUR.

Difficultas.

28. Una superest eaque gravissima difficultas ex Commentario in III. Sententiarum librum petita [1]. Et ne cui videar

[1] Quaest. I. Art. 1, qu. 2, sol.

difficultatis nodum dissimulare, integrum Aquinatis testimonium oculis lectoris subiicio: « Ad secundam quaestionem dicendum, quod sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat: sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est, sed omnibus convenit redimi per ipsum. Hoc autem esse non posset, si alia anima inveniretur quae nunquam originali macula fuisset infecta; et ideo nec Beatae Virgini nec alicui praeter Christum hoc concessum est. »

Equidem sentio difficultatis vim, eaque premor, sed non opprimor. Neminem latet verborum sententiarumque interpretationem a mente scribentis, a principiis quibus disserendo nititur, a scopo tractationis, a contextu esse potissimum desumendam, neque sine certissima evidentissimaque ratione alicui eximio omnique exceptione maiori Doctori, cuius doctrinam sapientiamque Romani Pontifices non solum summis laudibus extuleruut sed omnibus Universitatibus sequendam proposuere, ea esse adscribenda quae secum ipsum pugnantem, principiorum quae pro ratis atque inconcussis saepe saepius habuit, oblitum, nutantem et logicarum legum inscium declarent. Quis mihi, quaeso, id recuset? nemo.

Solutio.

29. Iam vero his verbis in quibus difficultatis acies consistit. « Sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat: sed nec ita etiam in ipso instanti infusionis ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret » duplex interpretatio subiici potest.

Prima est: sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia Virgo prouti existe-

bat in semine concepto aut fetu inanimi, gratiae capax nondum erat; sed nec etiam in ipso creationis et infusionis instanti.

Altera interpretatio haec est: sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia Virgo prouti existebat in semine concepto aut fetu inanimi gratia capax nondum erat, sed nec etiam *ita* in ipso infusionis instanti, *ut* per gratiam tunc sibi infusam aut intuitu huius gratiae eadem Virgo *ante animationem* in semine concepto et in fetu inanimi non fuisset obnoxia culpae originis *instrumentaliter* acceptae.

En tibi allati testimonii interpretatio duplex. In secunda habetur ratio ad particulas *ita ut* quae per se sententiam limitant et temperant: in prima reapse haec ratio non habetur, quasi sententia esset absoluta. Hoc vero grammaticalis interpretationis leges non patiuntur.

30. Porro si hanc sententiam « nec etiam sanctificatio potuit esse decenter in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret » a contextu divulsam, a quaestionis scopo et a principiis quibus Aquinatis doctrina nititur independentem assumimus, do manus victas; et quamquam primam interpretationem certissimam haud nuncupem, probabiliorem secundâ esse fateor, atque huic procul dubio anteferendam. Verum enim vero non est haec aequi iudicii ferendi ratio.

31. Is enim est Aquinas qui *hoc eodem* Commentario (I. Dist. 44, 3, 3) conceptis verbis affirmat: « Talis fuit puritas Beatae Virginis, quae a peccato ORIGINALI et actualis immunis fuit. » Ergo si primam amplectimur interpretationem, secum ipsum pugnantem non tacitis conclusionibus, sed prolatis perspicuisque enunciationibus inducimus. Sed officio tenemur ut ab huiusmodi sententiarum pugna Aquinatem vindicemus, si qua suppetat ratio.

Quae tibi in promptu est, si alteram testimonii interpretationem adhibeas, secundum quam Sanctus Doctor non inficiatur Virginis *personam* a peccato originali immunem fuisse,

sed inficiatur ad hanc *personae* immunitatem habendam, Virginem (prouti in semine concepto *dispositive* contenta consideretur) a peccato originali *instrumentaliter* sumpto extitisse immunem; semper enim Aquinas huic doctrinae firmiter adhaesit, qua Virgo *ante animationem* originis peccato obnoxia esse dicitur ne fateretur eam immunem a debito contrahendi et consequenter redemptione non indigam.

32. Si quid ambigui praeferant verba, quibus aliqua thesis probatur aut quaestio dirimitur, bonus sane interpres est quaestionis scopus et thesis indoles. Porro quae est, quaeso, quaestio Aquinati dirimenda, quae thesis hic est probanda? Ancipites hac in re minime esse possumus. Quaestio dirimenda haec est: *Utrum Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem.* Thesis autem est: *Beatam Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem.* Quam dirimendam quaestionem ac thesim probandam sibi etiam proponit III. Parte Summae theol. quaest. 27, art. 2. Quod si prima interpretatione textus partem, de qua viget controversia, explices, huiuscemodi pars a contextu divulsa apparet, nec in eum finem a Sancto Doctore adhibita, ut quaestionem sibi propositam dirimat probetque thesim.

Fac ut eamdem partem alteri a me allatae interpretationi subiicias, et statim apparet eius nexus cum quaestione ac thesi. Ostensurus enim Aquinas Virginem non fuisse sanctificatam *ante* animationem, hanc reddit rationem: quia fetus inanimis gratiae santificantis capax minime est. Verum aliquis ei ita occurrere potuisset. Profecto opus est gratia sanctificante ad expellendum aut ad impediendum quominus locum habeat peccatum originale *formaliter* sumptum, quemadmodum (l. cit. Sect. IV.) ad pellendas tenebras aut impediendum quominus alicubi sint, necessaria est lux. Sed est ne etiam necessaria eadem gratia alicui subiecto inhaerens, ut ab *hoc eodem* pellatur vel impediatur quominus sit peccatum originale *instrumentaliter* sumptum? Nonne eo ipso quod persona in primo animationis instanti dicitur exempta

ab originali peccato *formaliter* sumpto ope sanctificantis gratiae, huius sanctificationis habendae intuitu, est dicenda etiam in fetu inanimi praeservata ab originali peccato *instrumentaliter* sumpto? Huic instantiae, quam non potuit non praesentire Angelicus Doctor, satisfacit inquiens, non potuisse Virginem in primo instanti quo eius anima creata fuit et in corpus infusa *ita* sanctificari, *ut* ad huiusmodi sanctificationem habendam, conservata fuerit immunis a peccato originali *instrumentaliter* sumpto ante animationem. Non itaque cordi est Aquinati in praesentis quaestionis solutione ac thesis demonstratione definire utrum Beatae Virginis persona fuerit immunis nec ne a peccato originali formaliter sumpto, sed cordi omnino est ostendere, non potuisse *ita* immunem esse Virginis *personam*, in primo instanti quo extitit, a peccato originali, *ut* inferretur immunitas *ante* animationem, de qua immunitate ante animationem excludenda hic solummodo agebatur. Haec perbelle invicem cohaerent; quapropter, prima interpretatione posthabita, alteram a me allatam amplector, et qui ratione recta utitur mecum amplecti debet.

33. Sed, quod caput est, contextus ipse primam interpretationem falsam esse ostendit, alteram veram. Reapse in quem finem haec profert Aquinas « Christus *enim* hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est...? » Procul dubio ut id quod antecedentibus verbis enunciatione protulerat, demonstratione firmaret. Sed secundum primam interpretationem, quam reicio, quid antecedentibus verbis protulit? Virginis personam non fuisse immunem a peccato originali formaliter sumpto. Porro hanc propositionem demontratio illis verbis « Christus enim etc.... » allata nec *per se*, nec *secundum Aquinatis principia* vel minimum firmat. *Per se*, inquam. Virgo enim (ut fert Apostolicae Sedis definitio) redempta est, simulque eius persona est ab originali peccato formaliter sumpto omnino immunis. Dico etiam *secundum Aquinatis principia*. Ipse enim nos edocet (Sect. V.) aliquem redimi posse *vere* vel a malo con-

tracto vel a debito idem malum contrahendi: debitum etiam reale contrahendi orignale peccatum, secundum sanctum Doctorem habetur eo ipso quod semen conceptum peccato originali *instrumentaliter* sumpto subiicitur. Ergo, etiam secundum eiusdem principia, pessima est conclusio huius enthymematis. Virgo redempta est: ergo eius persona in primo instanti quo anima rationalis fuit creata et corpori infusa, fuit originis culpae obnoxia. Quamobrem reiiciamus ut praeposteram, verborum, quae demonstrationem « *Christus enim...* » antecedunt, primam interpretationem, qua posita, Aquinas logicarum legum prorsus inscius esse convincitur.

Verum si alteram interpretationem, adhibemus, egregie singula connectuntur, atque optima est conclusio (secundum Aquinatis doctrinam) huius enthymematis: Virgo redempta est: ergo vi sanctificationis, qua in primo instanti quo anima fuit creata et in corpus infusa, Virginis persona perhibetur fuisse praedita (Sect. II.), nequit dici conservata immunis ab originali peccato instrumentaliter sumpto ante animationem. Si enim poterat immunis conservari B. V. ab originali peccato instrumentaliter sumpto ante animationem, reali debito contrahendi originale peccatum, formaliter sumptum, secundum Aquinatis sententiam, non subiacuisset Virgo, et propterea redemptione minime eguisset (Sect. V.)

34. Age vero rimemur etiam paulisper verborum significationem quibus utitur Aquinas in praesenti quaestiuncula, cum id matri denegat quod filii proprium esse asseverat. Et ne longius quam par est excurrat oratio, nonnulla tantum subiiciam. Christi *proprium* esse affirmat Aquinas *nunquam* originis culpae fuisse subiectum, atque idcirco nec formaliter nec instrumentaliter sumptae, nec eidem nec *proprie* debito eam contrahendi. Quam ob rem inficiatur posse reperiri aliquam aliam personam, quae nunquam fuerit eidem culpae obnoxia ideoque omnem aliquando subiectam fuisse. Ex hoc vocabulo — *nunquam* — inferre ne iure meritoque poteris Aquinatem subiecisse Virginem originali peccato in primo

instanti quo anima rationalis creatur et in corpus infunditur? Haudquaquam. Satis enim est, secundum Angelicum Doctorem, ut *aliquando,* nempe in semine concepto *ante animationem* fuerit instrumentaliter subiecta.

Quid, quod parallelismi lex id esse prorsus ex mente Doctoris Angelici persuadet. Et re quidem vera in quaestione XXVII. art. 2, III. Partis. S. T. in quo articulo eamdem quaestionem omnino discutit iisdem pene verbis, iisdem prorsus argumentis utitur. Verum hoc in loco ex oeconomia redemptionis infert non potuisse *nunquam* Virginem originali peccato obnoxiam fuisse, atque ideo *ante* animationem eidem subiacuisse, non quidem formaliter sumpto (Sec. II.), sed instrumentaliter, « *Quocumque modo ante animationem* Beata Virgo sanctificata fuisset, *nunquam* incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute, quae est per Christum. » Ex quibus verbis, tamquam perspicuis sane praemissis, inferre possumus: ergo *si aliquo modo ante animationem* Beata Virgo incurrit originis culpam (instrumentalem scilicet in fetu inanimi), indiguit redemptione et salute quae est per Christum. Quapropter in hoc etiam Commentarii loco ad tempus *ante animationem* est referendum vocabulum *nunquam*, quod nullo prorsus iure et contra Aquinatis mentem referretur ad primum animationis instans.

Etiam: nonne perspicua haec verba sunt? « Est erroneum dicere quod aliquis sine peccato originali conciperetur; quia ille qui sine peccato originali conciperetur, non indigeret redemptione quae facta est per Christum; et sic Christus non esset omnium hominum redemptor (IV. 43, 1, 4). » Et: « Similiter, quia si cum peccato originali concepta non fuisset, non indigeret per Christum redimi; et sic non esset Christus universalis hominum Redemptor: quod derogat dignitati Christi (Opusc Comp. Theol. c. 224), » Id ergo quod secundum Aquinatis doctrinam requiritur et sufficit ad oeconomiam redemptionis est *conceptio* originali peccato subiecta:

conceptio autem *nunquam* ab Aquinate animationis loco, quemadmodum fit nostris temporibus, usurpatur. Quam ob rem etiam praesens testimonium ita nos interpretari debemus, ut dicamus ex redemptionis oeconomia (quae in eodem veluti ratio asseritur) non negari sanctificationem in primo animationis instanti, sed eam sanctificationem ex qua sequatur immunitas a peccato originali in fetu ante animae rationalis creationem et in corpus infusionem.

35. Silentio praeterire haud possum Aquinatis studium, quo dum thesim probat (Commentario Sententiarum Dis. III. I. I. 2 et Sum. Th. III, XXVII. 2): « Virginem ante animationem subiacuisse originali peccato, » movetur ad persuadendum omnibus *maximam* esse infra Christum Virgini puritatem tribuendam, ideoque (quod fluit ex positae quaestionis statu) excepta subiectione originali peccato instrumentaliter sumpto *ante* animationem, omnimodam immunitatem a culpa eidem Virgini esse concedendam. Loco citato Summae ait: Sub Christo *maxima* fuit Beatae Virginis puritas. Hoc Commentario ad 3 « haec puritas soli Homini Deo debebatur, ut ipse quasi unicus Redemptor humani generis *nulla* peccati servitute teneretur (id aequivalet vocabulo *nunquam* paulo ante adhibito), cui competebat, omnes a peccato redimere; unde non hanc puritatem, sed sub hac *maximam* Virgo Mater eius habere *debuit.* » Atqui omnino falsa redderetur Aquinatis sententia, si vera prima textus, de quo viget controversia, interpretatio esset: *maxima* enim Virginis puritas dici nequit, si praeter quam quod originali peccato instrumentaliter accepto in concepto semine dicatur obnoxia et ideo redemptionis indiga, dicatur etiam originali peccato formaliter accepto in primo instanti, quo eius anima fuit creata et in corpus infusa, subiecta [1] Ergo ex verborum et immediato et mediato contextu

---

[1] Cardinalis Caietanus re quidem vera fatetur, hac una admissa doctrina, sententiam Aquinatis dicentis « sub Christo maxima fuit B. Virginis puritas » esse veram. Ita ille (in III. 27, 2). » Si tenetur

satis apparet primam interpretationem esse reiiciendam, alteram amplectendam.

36. At inquies: Allato textu Commentarii Aquinas vult *animam* esse culpae subiectam; porro anima non existit ante animationem: ergo loquitur de primo animationis instanti. Quamquam ex hactenus prolatis riteque discussis rationibus hoc ultimum plane videatur vanum adversantium effugium: nihilominus, si quae latitat, difficultatis speciem dissolvam. Ea igitur mens est Aquinati, ut affirmet omnem animam (praeter Christi animam) *aliquando* esse obnoxiam peccato originali, vel quatenus anima consideratur existens in proprio corpore, vel quatenus consideratur in Adamo, in immediatis parentibus et in concepto semine, ex quo individua natura oritur. Quamquam enim animae rationales a Deo creentur, vel, ut inquit schola, ex nihilo sui et subiecti efficiantur; nihilominus in Scripturis sanctis dicuntur a parentibus generari, atque ideo etiam in parentibus et concepto semine esse praeexistentes. Non quidem quia in parentibus aut concepto seminine praeexistant *formaliter*, aut ita *instrumentaliter* quemadmodum corpus praeexistere in semine est dicendum, sed quia ex constabilito divinae Providentiae ordine generatio humana terminatur (ut verbo scholae hac in re utar) ad animam a Deo creandam veluti ad propriam et *naturalem* generati formam. Quae est etiam explicita scholae sententia (I. II. 83, 1, ad 3). « *Anima* huius hominis non fuit secundum seminalem rationem in Adam peccante sicuti

---

Beatam Virginem *non ex vi conceptionis,* sed gratia singularissima in ipso instanti infusionis animae, infusam illi animam praeservatam ab originali peccato, quod *tunc* incurrisset nisi illa gratia affuisset, specialis modus redimendi ac salvandi a peccato originali Christo attribuitur respectu suae Matris. Sic enim ipsa Beata Virgo indiguit redimi et salvari a peccato per Christum, quoniam ipsa tunc incurrisset peccatum, nisi manus gratiae praeveniens non tempore sed natura affuisset. Et *ita puritas eius fuit maxima sub Christo,* qui nullo modo iud guit redimi, *qui ex vi suae concepionis* fuit sanctus. »

in principio effectivo, sed sicuti in principio dispositivo (ergo aliquo modo *fuit* in eodem); eo quod semen corporale, quod ex Adam traducitur, sua virtute non efficit anima rationalem, sed ad eam disponit. » Quam ob rem hanc comparationem instituit Aquinas: ita peccatum originale continetur in concepto semine, ut in eodem continetur humana natura, quae est huiusmodi ob animam rationalem a Deo creatam (loc. cit. Sect. III.). Ergo cum saepe saepius Aquinas affirmet peccatum originale contineri in parentibus aut concepto semine, minime est improbanda nostra haec interpretatio (quae doctrinam pluribus rationibus comprobatam exprimit), qua dicimus Aquinatem docere animam Virginis in parentibus et concepto semine subiectam fuisse originali peccato *instrumentaliter* sumpto, non autem *in propria* existentia eidem *formaliter* sumpto subiacuisse.

37. Ut autem ob oculos pateat germana Aquinatis sententia, expedit difficultas quae habetur Sent. III. Dist. III. qu. 1, art. 1, quaestiuncula 2ª exhibere, adiecta perbrevi declaratione.

« Ad secundam quaestionem dicendum, quod sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat: sed nec etiam in ipso instanti infusionis, *ut scilicet* per gratiam tunc sibi iufusam conserveretur, ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est, sed omnibus convenit redimi per

Ad secundam quaestionem qua quaerebatur, num Beata Virgo potuerit sanctificari ante animationem, dicendum: sanctificationem B. V. non potuisse decenter esse ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat: sed nec etiam *ita* in ipso istanti infusionis, *ut* per gratiam hoc instanti sibi infusam aut huius gratiae intuitu in prima inanimati fetus conceptione conservaretur, ne culpam originalem *instrumentaliter* sum-

ipsum: hoc autem esse non posset, si alia anima inveniretur quae *nunquam* originali macula fuisset infecta; et ideo nec Beatae Virgini nec alicui praeter Christum hoc concessum est.... »

« Haec puritas soli Homini Deo debebatur, ut ipse quasi unicus Redemptor humani generis nulla peccati servitute teneretur, cui competebat omnes a peccato redimere: unde non hanc puritatem, sed sub hac *maximam* Virgo Mater eius habere debuit. »

ptam incurreret. Unus enim Christus redemptione non eget. Si autem alia anima inveniretur quae, prouti in se consideratur, non esset originali peccato formaliter sumpto obnoxia, nec esset eidem *instrumentaliter* sumpto subiecta, prouti consideratur in concepto semine et inanimato fetu existens (n. 15), huiusmodi anima, debito reali peccati contrahendi minime obligata, redemptione non egeret (Sect. V.). Id igitur nemini praeter Christum concessum est. Infra autem hanc puritatem, maxima est Virgini Matri puritas tribuenda, qua scilicet eius persona a peccato (n, 7, 8, 9) dicitur omnino immunis, et eius anima ab initio suae existentiae a macula peccati originalis formaliter accepti omnino praeservata.

Hac ratione reor Aquinatis sententias invicem illustrari atque illum locum, qui summa perspicuitate gaudet (I. Dist. 44, 3), de quo nulla prudens dubitatio oriri potest facem praebere interpretationi eorum de quibus disceptatio habetur. Haec enim est rectae interpretationis regula, quam hisce verbis tradidit Salmeron (Com. Prolog. IX. can. 32): « Locum per alios locos, qui eadem nomina vel verba continent, vel eumdem sensum tradere videntur, interpretemur.

Siquidem is locus, qui apertius eamdem rem tractat, serviet ei qui obscurior est, et quasi illius erit commentarius. Ad hoc praestandum nos hortatur Augustiuus (II. De doct. christ. c. 9), in hunc modum: — Ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant. — Et Origenes (Hom. 24 in Num.): — Facilius in Scripturis quod quaeritur agnoscitur, si ex pluribus locis quae de eadem re rescripta sunt proferantur. »

38. Missa facio cetera quae ad difficultatis propositae solutionem conferre posse videntur. Quae protuli abunde sufficiunt. Itaque qui contendere mavult allato Commentarii in Sent. lib. III. textu Aquinatem professum fuisse doctrinam Virginis Dei Matris privilegio inimicam, interpretationem eiusdem textus a nobis prolatam ac defensam ostendere absurdam debet, aut saltem omni probabilitate destitutam, atque ea argumenta dissolvere quibus in disserendo nos usi sumus. Ius enim hoc nobis est. Nemini enim fas est erroneae doctrinae incusare Aquinatem, Ecclesiae Romanae Doctorem praeclarissimum, nisi prius omni probandi vi destituta esse ostendat quae ab iis proferuntur qui eius causam defendendam suscipiunt.

39. Et haec hucusque dicta satis esse videntur ad doctrinam de Immaculata Virgine Deipara quam Angelicus Doctor est professus vindicandam. Praepositis enim illis locutionibus ex quibus luculentur patet Aquinatem stetisse pro Immaculatae Virginis privilegio, ostendimus eos Angelici Doctoris textus qui afferrebantur ut oppositae sententiae fuisse ipse convincatur, ad hoc probandum prorsus esse ineptos. Hoc unum ex Angelici Doctoris doctrina accurate perpensa inferri posse videtur, ipsum subiecisse Virginem Deiparam ante animationem, in fetus inanimati conceptione, peccato originali *instrumentaliter* sumpto, ne ab eadem Virgine removeret reale debitum contrahendi originale peccatum formaliter sumptum, in eius animae rationalis creatione et in corpus in-

fusione, atque ideo redemptionis minime indigam affirmaret. Debitum autem praedictum in prima fetus conceptione esse affirmavit eo ipso quod generatione naturali ab Adamo Virgo egressa est; et non ex quod arbitraretur adnexam fuisse concepto semini aliquam qualitatem morbosam in qua essentiam originalis peccati instrumentaliter sumpti dubio procul non collocavit.

SECTIO VIII.

DIFFICULTATES, QUAE RECENTISSIME CONTRA EXPLICATIONEM TESTIMONIORUM AQUINATIS HACTENUS A NOBIS PROPOSITORUM VIRI ERUDITI OGGESSERUNT, DILUUNTUR, ATQUE EADEM INTERPRETATIO CONFIRMATUR.

40. a) In primis obiicitur demonstrationem exhibitam non ea praeditam esse virtute, ut evidenter pateat Angelicum Doctorem stetisse pro sententia catholica de Immaculate Virginis privilegio: quaedam enim testimonia allata certe non respuunt sensum contrarium ei, qui Aquinatis esse affirmatur.

Respondeo hanc difficultatem laborare falsa quadam suppositione. Non enim lucubrationis scopus fuit demonstrationem evidentem exhibere, qua cavillosis imperitis pateat Aquinatem stetisse pro catholica sententia, sed potius non posse demonstrari eumdem tradidisse doctrinam catholicae sententiae contrariam. Et re quidem vera, ab initio generalem quaestionem hisce terminis proposui: *Utrum ex doctrina Sancti Thomae Aquinatis inferri aliquid possit dogmaticae definitioni de Immaculato Deiparae conceptu minus consentaneum.* Et in prima Sectione n. 6, ubi scopum totius tractationis perspicuis limitibus definivi, dixi: *Quibus praeiactis, non minus brevi quam perspicua enunciatione huius tractationis scopus determinandus est. — Ea igitur mihi mens est ut ostendam: demonstrari nulla ratione posse Aquinatem fuisse professum, quod attinet ad*

Deiparae Virginis originem, sententiam diversam ab ea quam Sedes Apostolica nostris temporibus tamquam catholicum dogma definivit. Nemo est qui, si attente rem perpenderit non videat, multum differre demonstrationem, qua conclusio affirmans probatur, ab ea qua negans conclusio infertur. Putas ne eamdem esse demonstrationem qua ostendis non posse demonstrari animam humanam esse mortalem, cum ea qua demonstras ipsam esse immortalem? Sic, ut ostendam vera demonstratione Sanctum Doctorem stetisse pro Immaculatae Virginis privilegio, oportet rem ita firmare, ut adversarius omnino non possit in diversam sententiam probabili interpretatione Aquinatis testimonia pertrahere. Ut autem probem non demonstrari diversam sententiam fuisse professum, satis est testimoniis, quae ut Immaculatae Virginis privilegio contraria ab adversariis afferuntur, apponere interpretationem huic privilegio consonam, et demonstrare huiusmodi interpretationem talibus niti argumentis, quae ipsam probatione dignam reddant. Quamquam autem non ignoro plurimos ex huius tractationis accurata lectione hausisse certitudinem de sincera Aquinatis doctrina; tamen, quod mea maxime refert, certe scio neminem vera probatione ostensurum interpretationem testimoniorum a me allatam, et multis rationibus communitam non esse admittendam, eo quod contraria interpretatio tamquam germana demonstretur.

41. b) Opponunt etiam nobis R. R. Episcopum Burgensem cl. Malou dicentem: « Sanctus Doctor saltem tribus locis hoc privilegium explicitis terminis est inficiatus. » Tria autem loca, ad quae potissimum cl. Auctor respicit, sunt Sum. III. 27, 2. III. Dist. 3, 1, 1, 2. Opusc. super salut. angel. Praeterea etiam affirmat: « Etsi testimonia huiusmodi silentio praetereamus, talis est Aquinatis doctrina, quae nos ad Virginis privilegium inficiandum perducat. »

Cl. et R. R. Episcopi auctoritas hac in re nullum negotium nobis facessere videtur. Ultro enim concedimus ea protulisse; verum et protulit iis omnino contraria eodem prorsus

articulo. [1] Testimoniis enim Angelici Doctoris ad speciem Virginis privilegium denegantibus opponit testimonia, quae explicitis terminis ipsum affirmant. « Verum, ait, affirmavit ne unquam S. Thomas idem privilegium? In Com. I. Sent. hoc privilegium profitetur *explicitis terminis*. » Nec solum pro veris habet ea Aquinatis testimonia Virginis privilegium affirmantia, quae extant in pervulgatis Sancti Doctoris editionibus, verum illud non recusat quod plurimorum codicum et eruditissimorum virorum autoritate permotus admisit Em. Card. Sfondrati (Innoc. Vindic.) in Opusculo super salutationem angelicam, quodque ipse cl. Episcopus Malou accepit a R. et cl. Uccelli tamquam omnino conforme pluribus co-

---

[1] Quae sibi mutuo opponunt in eodem articulo cl. auctoris (L'Immaculée Conc. Bruxelles 1857, Tom. II. c. 13, art. 14), hic relata volumus. « Indépendamment des textes de ses écrits, l'ensemble de ses doctrines conduit à la négation du privilége de la saint Vierge. — Quoique l'on ait pu dire, le Saint Docteur a nié en termes formels ce privilege, au moins dans trois passages de ses œuvres. » Verum hisce opponuntur: « Il est donc bien certain que Sanint Thomas a nié le privilège de la Mère de Dieu. Mais ne l'a-t-il jamais affirmé? Dans son Commentaire sur le premier livre des sentences il l'admet en termes formels... Dans le Commentaire de Saint Thomas sur la Salutation Angélique, tel que M. Uccelli l'a trouvé dans quatre excellentes manuscrits contemporains du Saint Docteur on lit vers la fin: Marie surpasse la pureté des anges... Elle a atteint le plus haut degré de la pureté, en ce qui concerne le péché, car elle n'a encourû ni le péché originel, ni le péché veniel. — Il a (S. Thomas) merveilleusement expliqué les vérités qui conduissent à la pieuse croyance, et il figure, nous l'avons vu, parmi les temoins les plus remarquables de la tradition implicite de l'Immaculée Conception... On conçoit qu'après l'avoir affirmée dans le commentaire sur le primier livre des sentences, il l'ait niée ensuite dans le commentaire sur le troisième livre, parce qu'entre ces deux ouvrages de longue haleine, il a pu changer d'avis; mais l'on ne conçoit guère que dans un commentaire qui a pu être récité dans l'espace d'une heure ou deux, le Saint Docteur enseigne le pour et le contre sur un même sujet, je avoue que je ne puis resoudre cette difficulté, qui me porte a croire que Saint Thomas, dans cette question peu éclarcie de son temps, a flottè et passé d'une opinion à l'autre. »

dicibus summa diligentia inspectis. Testimonium autem hoc est: « Excedit angelos, quantum ad puritatem. Ipsa enim purissima fuit quantum ad culpam, quia ipsa Virgo nec originale nec mortale nec veniale peccatum incurrit. » Quodque mirum est cl. Episcopus non dubitavit asserere: « Ipse (sc. S. Doctor) miro modo ita evolvit veritates illas, ex quibus pia sententia consequitur, ut sit enumerandus inter illustriores testes, quod attinet ad implicitam traditionem de Immaculata Conceptione. » Hisce ab Aquinate relatis tum in privilegii favorem tum contra ipsum, fatetur se non posse componere doctrinam Angelici Doctoris, qui non modo (ut ipse ait) separatis tractationibus, verum etiam in una eademque perbrevi dissertatione oppositas omnino sententias de Virginis conceptione est amplexus. Verum enim vero nonne potius a tantae inconstantiae culpa liberandus est Angelicus Doctor, si qua nobis via suppetat? Suspicari ne possumus propriam sententiam hac de re retractasse Aquinatem, et tamen suos discipulos lectoresve suos de retractata sententia non admonuisse? aut in scriptis sententiam, a qua recessisset, intactam reliquisse? id ad quod praestandum ceteri omnes qui longe absunt ab Angelici Doctoris sanctitate sapientiaque, officio se obstringi arbitrantur, ipse facere noluit? Sed enim nobis suppetit via qua Angelicum Doctorem ab ignorantiae levitatisque nota liberemus, si id quod plurimis atque validis rationibus verum esse comprobavimus, profiteamur. Videlicet si 1) omnia testimonia, quae explicitis verbis Virginem in originali peccato *conceptam* esse affirmant, aut eius *conceptionem* peccato obnoxiam, aut eius carnem in eius *conceptione* peccato infectam, aut etiam ipsam Virginem in *conceptione* originis peccato subiectam, referantur non ad conceptionem personae sed ad conceptionem fetus, quae, secundum Aristotelis, Aquinatis veterumque scholasticorum sententiam, animae rationalis creationem tempore praecedit; si 2) peccatum originale, cui Virgo in sui conceptione perhibetur subiecta eo quod per seminalem generationem ab Adamo, ut alii homines,

derivavit, esse dicatur solummodo instrumentaliter tale, non autem formaliter; si 3) ex Redemptionis necessitate, quam requirit Aquinas, etiam dum de Virgine Deipara sermonem habet, debitum, atque ideo, secundum eius mentem, peccatum instrumentaliter sumptum inferatur, non vero originalis peccati formaliter sumpti existentia. Brevi, difficultates, quibus non modo se premi, sed opprimi fatetur cl. auctor, haud aegre dissolventur, si doctrinam de peccati originalis propagatione amplectamur, quam non ad arbitrium, sed indubiis argumentis innixi tamquam Angelici Doctoris germanam in praesenti Opusculo tradidimus.

42. c) Obiicitur etiam: ut germanam alicuius auctoris sententiam detegamus, ea loca sunt consulenda in quibus ex instituto rem pertractat, et sententiae, hac methodo determinatae, ea testimonia sunt aptanda in quibus eadem res breviter tangitur. Atqui contrarium fit in praesenti Opusculo; ex testimoniis enim in quibus per transennam quaestio proponitur, determinatur Sancti Doctoris sententia de Virginis privilegio, et sententiae hac methodo haustae aptantur ea loca in quibus eadem quaestio ex instituto pertractatur.

Maiorem propositionem ultro amplector, si tamen huiusmodi testimonia in quibus quaestio ex instituto pertractatur reapse habeantur. Quod si haec desiderentur, dubio procul licet auctoris haurire sententiam ab iis testimoniis in quibus res tangitur, praecipue si in eisdem quid auctor senserit clare pateat. Ita ad Theologica dogmata confirmanda saepissime Patrum testimonia desumimus ex iis locis in quibus non data opera, sed per transennam eadem dogmata proponuntur.

Minorem autem falsam esse omnino arbitror. Verum quidem est, testimonia expressis verbis Deiparae privilegium affirmantia non fuisse deprompta ab illis locis in quibus quaestio positiva (quam definiendam minime ex instituto suscepi) explicite pertractatur; sed huius rei causa est, quia illa testimonia desiderantur. Et re quidem vera, Angelicus Doctor de Beatae Virginis sanctificatione ex instituto agit

tum in Sum. Th. (III. 27), tum in Comm. in Lib. Sent. (III. 3).

In Sum. th. has quaestiones, quae ad praesentem controversiam maxime pertinent, ex instituto resolvit:

I. Utrum B. V. Mater Dei fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero?

II. Utrum B. V. fuerit sanctificata ante animationem?

III. Utrum per sanctificationem fuerit B. V. fomes sublatus?

In Com. Sent. has etiam ex instituto pertractat:

I. Utrum B. V. fuerit sanctificata, antequam eius conceptio finiretur.

II. Utrum B. V. fuerit sanctificata ante animationem?

III. Utrum B. V. fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero?

Porro nec in Summa th. nec in Comm. Sent. agitur haec quaestio: *Utrum B. V. fuerit sanctificata in primo animationis instanti?* quamquam et rerum tractandarum ordo et Aquinatis consueta agendi ratio (huic enim mos est singularum quaestionum praecipua puncta miro ordine pertractare) postulare videntur huius quaestionis accuratam et claram definitionem. Hunc defectum adnotavit etiam Card. Caietanus, tametsi eiusdem causam non adsignavit. Silentio praetereo huius causae investigationem.

Sed enim ex locis in quibus citatae quaestiones ex instituto discutiuntur, semper nostrum scopum intendentes (qualem distincte proposuimus Sect. I. n. 6), eruimus germanam Aquinatis doctrinam, quod attinet ad vocabulorum conceptionis et animationis significationes; quod spectat ad distinctionem quae viget inter peccatum originale instrumentaliter acceptum, quod in fetu inanimato reperitur, et peccatum originale formaliter sumptum, quod nonnisi in anima rationali tamquam in proprio subiecto esse potest; tandem quod pertinet ad redemptionis necessitatem. Inde non ambigua et torţuosa illatione, sed evidentissima demonstratione intulimus, omnia Aquinatis testimonia, quae, *quocumque modo,* affir-

mant fuisse Virginem Deiparam obnoxiam peccato originali in sui *conceptione*, omnino non posse referri ad primum animationis instans et ad peccatum originale formaliter sumptum: atque ex Redemptionis necessitate, quam saepissime Angelicus Doctor inculcat, solummodo consequi existentiam peccati originalis instrumentaliter sumpti in fetu adhuc animae rationali experti. Hisce in tuto positis, principia omnino perspicua stabilivimus quibus Aquinatem a nota contradictionis immunem fuisse demonstraremus.

43. d) Praeterea aiunt, per hunc defensionis modum consequi nos posse ab errore vindicare veteres doctores, qui certe Virginis Immaculatae privilegio fuere infensi.

Respondeo, consectarium minime sequi, si *certum* nobis sit eo fuisse tali privilegio inimicos. Ceterum facile ab errore vindicare possumus eos qui, quod attinet ad conceptionem et animationem et originalis peccati propagationem, profitentur doctrinam ei similem quam Aquinas profitetur. Quamobrem egregie ait De Vega: « Cum prisci doctores denegant Beatae Virgini sanctificationem in suo conceptu, loquuntur de conceptione sumpta pro commixtione seminis utriusque parentis ipsius Virginis, quae *tempore aliquo* praecessit animationi corporis. Cum vero affirmant, tunc peccatum originale contraxisse, intelligendi sunt de peccato et labe originali in reatu, debito, aut potentia proxima; quia materia illa informis seu embrio prorsus incapax erat tam peccati quam gratiae habitualis, quod non obscure tradit D. Bernardus epist. 174 (ad canonicos lugdunenses), et S. Thomas: unde solum erat capax reatus, seu potentiae proximae incurrendi peccatum in anima corpus informante; eodemque modo solum capax sanctitatis, quae rebus inanimis inesse potest, cum usibus sacris deputantur... Hoc ergo sensu plures antiqui scholastici adstruunt Virginem Deiparam in prima conceptione habuisse peccatum originale *non formale* et actuale, *sed virtuale*, scilicet in reatu vel debito proximo. » Ita Anselmus citatus, D. Thomas in III. Dist. 3 et

I. II. 81 et III 27, D. Bonaventura cit. et Bellarminus L. IV. de amissione gratiae cap. 15 » (De Vega S. I. op. cit. Tom. II. Pal. III. n. 746).

44. e) Instant etiam cum Card. Caietano: « Petendum est ab iis, si verba ista: *B. Virgo fuit concepta in peccato originali:* et similia, non explicant quod ipsa de facto contraxit originale peccatum, quibus verbis uti debeant Sancti et Doctores ad hoc explicandum? In his namque explicatur 1) persona B. Virginis nominatim ut subiectum originalis peccati; explicatur 2) tempus conceptionis; explicatur 3) originale peccatum; explicatur 4) factum per ly *concepta est, contraxit,* et similia. Quid ultra debuit apponi? Et si ista hic non significant, consequens est ut dicentes oppositum, scilicet: B. Virginem non esse conceptam in peccato originali: non significent hoc quod dicunt (Tract. de Conc. Virg. c. 4). »

Quamquam Card. Caietani auctoritas plurimi est facienda, et ipse ingenii acie in Aquinatis interpretatione videtur pene esse singularis; nihilominus, quod attinet ad praesentem quaestionem, minus consona veritati eum protulisse arbitror.

Et in primis si *conceptionis* vocabulo *unice* significatur conceptio personae seu animatio (ut nostra aetate fit), procul dubio verba illa *concepta in peccato originali* designaret Virginem, in primo instanti quo anima eius fuit creata et in corpus infusa, subiacuisse originali peccato. Verum non ita est, si conceptionis vocabulo Doctores veteres significent id quod animationem praecedit, atque ideo antecedit creationem animae et in corpus, suis membris potioribus constitutum infusionem. Quam ob rem cum Angelicus Doctor *semper* hac significatione usurpet *conceptionis* vocabulum, dum affirmat Virginem *conceptam* fuisse in originali peccato, 1) non explicat *personam* Virginis, sed semen conceptum aut fetum adhuc anima rationali carentem, tamquam subiectum originalis peccati 2), explicat quidem tempus, sed tempus quod creationem animae praecedit; 3) explicat ori-

ginale peccatum, verum non formaliter sumptum, sed instrumentaliter acceptum, cui solummodo potuit subiici fetus anima rationali nondum informatus; 4) explicat per *ly concepta est, contraxit* et similia factum, sed factum subiectionis originali peccato instrumentaliter sumpto, ex quo debitum incurrendi originale peccatum formaliter acceptum et Redemptionis necessitatem derivari Santus Doctor concipiebat. Quocirca si quaeratur quid ultra *debuit apponere?* reponimus: debuisset a proprio autographo delere ea testimonia quibus non obscure, sed expressis terminis affirmat B. V. immunem esse *a peccato originali,* et gaudere *maxima,* post Christum, puritate; debuisset expressis terminis proponere hanc quaestionem (quam, ut supra innui, rerum tractandarum ordo exposcere videbatur): *Utrum B. Virgo in primo animationis instanti fuerit subiecta peccato originali;* et affirmativam responsionem *sine ambagibus* omnino dare.

Quae autem a Card. Caietano subduntur a veritate aliena esse apparent. Et re quidem vera, qui affirmat Virginem *conceptam* in peccato originali non esse, aut 1) conceptionis nomine significat *fetus conceptionem* seu id quod praecedit animationem, aut 2) significat *personae conceptionem* seu ipsam animationem. Si primum, qui talia affirmat, certe indicat non fuisse Deiparam subiectam in animatione, seu conceptione personae, peccato originali. Sola enim immediata ratio ob quam secundum veteres Doctores anima in primo creationis instanti subiicitur originali peccato, haec est: quia in fetus conceptione habetur subiectio peccato originali instrumentaliter sumpto. Ablata porro ratione sufficiente, et rationatum aufertur. Quod si alteram significationem vocabulo conceptionis subnectat, nulla dubietas, ambages nullae nec esse nec fingi possunt.

Verum enim vero si principia, quibus utitur aliquando Caietanus, in defensione Aquinatis adhibeamus; procul dubio affirmandum nobis est Angelicum Doctorem, quod attinet ad Virginis Matris Dei immaculatam originem, non

esse professum sententiam oppositam ei quae a Sede Apostolica modo ut catholicum fidei dogma est definita. Et re quidem vera, in Com. opusc. de Ente et Essentia, contra sententiam Aquinatis quam sic exhibet — *quaevis intelligentia constituit unam speciem,* — quosdam Parisiensium Doctorum articulos in medium profert, quorum auctoritatem pluribus rationibus imminuere satagit; et denique ait: « Dicitur tertio, quod cum Sanctissimus Urbanus Papa doctrinam S. Thomae approbaverit in Extravaganti, quae incipit: *Laudabilis Deus in sanctis suis*: mirum est quomodo isti audeant, contra Romanae Ecclesiae approbationem, reducere articulos Parisienses. Sunt autem verba Domini Papae in calce Extravagantis ad Universitatem Tolosanam illa: *Volumus insuper et tenore praesentium vobis iniungimus, ut dicti Beati Thomae doctrinam tamquam veridicam et catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare.* Haec verba attendant adversarii, et videant quanta temeritate contra mandatum Summi Pontificis catholicam S. Thomae doctrinam impugnare nituntur. » Ergo, Card. Caietano auctore, affirmari nequit Sanctus Thomas protulisse unquam sententiam contra catholicam Sedis Apostolicae doctrinam. Quocirca cum sit catholica Sedis Apostolicae doctrina, Deiparam in primo animationis, seu conceptionis personae instanti fuisse ab originali peccato immunem, dicendum quoque erit diversam interpretationem esse testimoniis Aquinatis subiiciendam ab ea quam eisdem Card. Caietanus subiecit.

45. f) Denique obiiciunt: Si Aquinas docuit in Virgine post animationem seu personae conceptionem remansisse fomitem etsi ligatum, omnino fuit infensus Virginis Immaculatae privilegio de immunitate ab originali peccato. Atqui illud docuit; igitur hoc est etiam admittendum. Quis in dubium revocare poterit maiorem propositionem? Minor autem patet ex pluribus Angelici Doctoris testimoniis.

Maiorem nego, et minorem transmitto. Card. Caietanus

affirmavit (De Conc. Virg. c. 3), ea simul posse componi, scilicet immunitatem a peccato originali in primo animationis instanti, et ligati fomitis existentiam. Etiam a Porrecta ait: « Conclusio 1ª: Melius videtur dicendum quod per sanctificationem in utero non fuerit sublatus Beatae Virgini fomes secundum essentiam, sed quod remanserit ligatus. Prima haec conclusio cum sua probatione potest verificari de B. Virgine, posito etiam quod ipsa per gratiam sanctificantem, idest iustificantem, fuisset praeservata ab actuali contractione peccati originalis. (In III. 27, 3) » Manifestum itaque est difficultatem esse prorsus inanem.

Verum iuvat hac in re paulisper immorari, ut germana Aquinatis sententia lectori perspicue innotescat. Sciendum itaque est in homine, utpote *animali rationali*, duplicem esse cognoscendi potentiam, spiritualem alteram, alteram sensitivam; his autem duabus cognoscendi potentiis respondere binas appetendi potentias, quarum una est spiritualis, altera autem sensitiva. Appetendi facultas spiritualis, quae voluntas nuncupatur, in qua formaliter libertas residet, una intelligendi potentia directe movetur, et phantasia solummodo appetitus animalis directe excitatur. Quam ob rem ex eo quod, posita ratione sufficiente, ponitur etiam rationatum, a phantastica apprehensione boni sensibilis *naturaliter* excitatur animalis appetitus, etsi nondum ratio de eodem bono sensibili iudicium tulerit, neque ad actum voluntas processerit. Potentia autem appetitus animalis dicitur *fomes* non ex toto, sed ex parte; eatenus scilicet, quatenus praevenire potest suo motu rationem, in ea tendendo quae ordini rectitudinis honestatisque adversa ab eadem ratione indicantur. Quocirca fomes fuisset *naturalis* homini nisi Deus progenitorem omnium Adamum ad supernaturalem iustitiae statum evexisset. Huic enim, praeter cetera privilegia aut gratiae dona, illud etiam Deus contulit, quod nunquam appetitus animalis suis motibus rationem praeveniret. Peccante Adamo, fomes peccati est humano generi relictus, tamquam peccati poena.

Hisce praeiactis, quanam ratione potuisset secundum Aquinatem auferri aut extingui in Virgine peccati fomes, quanam ratione ligari? Extinctus fuisset fomes, si Virginis intellectivae et sensitivae potentiae ope gratiae ita fuissent dispositae, ut *nunquam* appetitus animalis suo motu potuisset rationis arbitrium praevenire, sive quod attinet ad ea quae honestati opposita sunt, sive ad cetera. « Restat ergo ut dicamus quod vel totaliter fomes fuerit ab ea sublatus per primam sanctificationem, vel, si remanserit, quod fuerit ligatus. Posset enim intelligi quod totaliter fuerit sublatus fomes hoc modo; quod praestitum fuerit B. Virgini ex abundantia gratiae descendentis in ipsam, ut talis esset dispositio virium animae in ipsa, quod inferiores vires *nunquam* moverentur sine arbitrio rationis, sicut dictum est fuisse in Christo, quem constat peccati fomitem non habuisse, et sicut fuit in Adam ante peccatum *per originalem iustitiam:* ita quod quantum ad hoc, gratia sanctificationis in Virgine habuit vim originalis iustitiae (III. 27, 3). »

Ligatus autem fomes, secundum Aquinatem, in Virgine fuit, quia eidem *etiam per gratiae abundantiam* impedimentum factum est ne appetitus animalis praeveniret rationis arbitrium non quoad omnia, sed quoad ea quae ab honestatis norma deflectunt: « Contingunt autem huiusmodi motus inordinati ex hoc quod appetitus sensitivus, qui est harum passionum subiectum, non sic subiicitur rationi, quin interdum ad aliquid praeter ordinationem rationis moveatur, et quandoque contra rationem in quo consistit motus peccati. Sic igitur fuit in Beata Virgine appetitus sensitivus rationi subiectus *per virtutem gratiae ipsam sanctificantis*, quod nunquam contra rationem movebatur, sed secundum ordinem rationis; poterat tamen habere aliquos motus subitos, non ordinatos ratione... Quia in Beata Virgine Maria non erant inferiores vires totaliter rationi subiectae, ut scilicet nullum motum haberent, a ratione non praeordinatum, et tamen sic cohibebantur *per virtutem gratiae,* ut nullo modo contra

rationem moverentur. Propter hoc solet dici, quod in Beata Virgine post sanctificationem remansit quidem fomes peccati secundum substantiam, sed ligatus (Opus. Comp. th.). » Alibi etiam: « Unde relinquitur, quod fomes per essentiam post primam sanctificationem remanserit, sed impeditus *per gratiam sanctificantem,* ne in peccatum inclinaret, aut a bono retraheret. In Beata Virgine inclinatio fomitis omnino sublata fuit et quantum ad veniale et quantum ad mortale (III. Dist. 3, 1, 2). » Supra dixi *etiam* per gratiae abundantiam; quia non inficior Sanctum Doctorem docuisse illud impedimentum etiam a divina providentia ortum fuisse (III. Sum. 27, 3). Quam ob causam mihi cordi est inculcare, Aquinatem docuisse ligatum fuisse Deiparae fomitem *a gratia sanctificante,* quam in prima sanctificatione accepit? Ut appareat, ad rem quod attinet, Aquinati non adversari doctores sane plurimos, qui affirmant in prima sanctificatione extinctum fuisse in Virgine fomitem peccati. Hi enim tunc extictum esse fomitem dicunt, cum impedimentum *a gratia* oritur, ne appetitus animalis arbitrium rationis praeveniat, ligatum vero cum id accidit *per solam* extrinsecam Dei providentiam. De Vega ait: « Tunc dicunt ligari fomitem, quando inclinatio ipsa nativa appetitus sensitivi ex *sola* Dei providentia et *externa protectione* impeditur, ne reipsa operetur et appetat id quod est contra rationem, et ne ipsam praeveniat. Tunc autem extingui fomitem et auferri dicunt, quando ex *abundantia gratiae* talis inest habitudo et dispositio virium animae et facultatum, ut inferiores nunquam moveri possent sine motu rationis; quocirca per huiusmodi gratiae abundandantiam censent extingui et auferri potuisse fomitem (Tom. I. Pal. IX. 860). » Ergo si de peccati fomite solum agamus, videlicet de illa tantum inclinatione qua fertur appetitus sensitivus in id quod honestatis normae opponitur, cum Aquinas affirmet explicitis verbis *per virtutem gratiae sanctificantis* in Virgine huiusmodi fomitem sive inclinationem sublatam fuisse, patet non adeo a sententia plurimorum doctorum

differre qui dicunt in prima Deiparae sanctificatione, qua ab originali peccato fuit praeservata, extinctum fomitem fuisse. Haec protuli non ad difficultatem enodandam, quae ut supra ostendi, nulla est, sed ad Sancti Doctoris hac super re doctrinam explicandam.

Itaque ex imbecillitate argumentorum quae contra demonstrationem a nobis allatam facta sunt, luculentius eiusdem firmitas apparet. Ideoque certum nobis est « demonstrari nulla ratione posse Aquinatem fuisse professum, quod attinet ad Deiparae Virginis originem, sententiam diversam ab ea quam Sedes Apostolica nostris temporibus tamquam catholicum dogma definivit. »

Mihi vero interim dulcis occurrit cogitatio, me in Angelicum Doctorem, cuius sapientia maxime delector, obsequii signum exibuisse et Deiparae Sanctissimae tenui hoc labore rem non ingratam fecisse. A iuvenili aetate hoc mihi erat in votis in prima elucubratione quam typis edendam fecissem, de singulari Virginis privilegio disserere. Idque praestiti Brixinae in Germania typis Wegerianis anno 1868.

Romae die Nativitati Virginis Immaculatae Sacra
anno 1889.

INDEX

Sectio I.		Doctrina catholica exhibetur	Pag. 5
»	II.	Sanctus Thomas Virginem Dei Matrem originalis peccati expertem fuisse clare profitetur	» 9
»	III.	Quamquam sit aperta verborum oppositio, tamen rerum sententiarumque dissidium nullum reapse est inter doctrinam nostris temporibus catholico orbi credendam propositam, et Aquinatem affirmantem Virginis conceptionem sanctam nequaquam extitisse sed peccato obnoxiam	» 15
»	IV.	Nulla realis Aquinatem inter et catholicam doctrinam oppositio existit, quod attinet ad primam Deiparae sanctificationem.	» 29
»	V.	Praeter ius ea Aquinati de Virginis redemptione adscribitur doctrina, quae cum sententia catholica minime componi potest	» 35
»	VI.	Articulus 2, qu. 27, III. p. Sum. declaratur . .	» 42
»	VII.	Difficultati ex Commentario in Sent. lib. III. dist. II. petitae occurritur	» 55
»	VIII.	Difficultates, quas recentissime contra explicationem testimoniorum Aquinatis hactenus a nobis propositorum viri eruditi oggesserunt, diluuntur, atque eadem interpretatio confirmatur	» 67

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A.
Magister.

—

IMPRIMATUR

Julius Lenti Patr. Constant.
Vicesgerens.

208.6
C 816
8532
CORNOLDI, J.M.
AUTHOR
Sententia..de Immaculata B.V.
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
STORAGE - CBPL
8532